Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

QUAS

IN USUM AUDITORUM SUORUM

COMPOSUIT

FRANCISCUS IAVARONE

IN REGIO ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSOR, ACADEMIAE HERCULANENSIS ARCHAEOLOGIAE SOCIUS ORDINARIUS, HERCULANENSIUM VOLUMINUM INTERPRES.

TOM. VI.

NEAPOLI.

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

CIↃIↃCCCXXIV.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITT. EM." NAPOLI

DE SACRAMENTIS.

Digitized by Google

DE SACRAMENTO
EUCHARISTIÆ

Caput I.

Eucharistiae definitio, et praecipua eius nomina explanantur.

§. I. Eucharistia est corporis, et sanguinis Christi sub panis, et vini accidentibus mysterium (1) ad crucis sacrificium continuandum, et fideles in supernaturali vita reficiendos institutum. Nimirum duplicem rationem, alteram Sacrificii, alteram Sacramenti habet Eucharistia. Quod ad primam, sacrificii in cruce peracti admirabilis conti-

(1) Duo igitur Eucharistici mysterii indolem constituunt, vera nempe, realis, et substantialis Christi praesentia, et totius panis, et vini substantiae in Christi corpus et sanguinem conversio, quam aptissime *transubstantiationem* appellat Ecclesia.

Digitized by Google

nuatio est. Quod ad alteram, est carnis, et sanguinis Christi sub panis et vini speciebus permanentis vera communicatio.

§. II. Prout Sacrificium est, Eucharistia (1) his praecipue nominibus appellatur. Λιτουργιαν, Μυσταγωγιαν, Συναξιν, Αναφοραν, Προφοραν, vocant Graeci Patres; *Collectam* vero, *Dominicum*, *Agendam*, *vel Actionem*, *Missam* Latini. A Graecis dicitur *Liturgia*, nempe publicum, et sacrum ministerium, quia nihil hoc Sacrificio praestantius, nihil magis publicum habet Catholica Religio: *Mystagogia*, seu secreta actio; quia gentilibus, catechumenis, publicis poenitentibus eius celebrationi interesse vetabatur: *Synaxis*, quia per illud Christiani et Deo, et sibi invicem coniunguntur: *Anaphora*, idest *sursum elatio*, quia illo ad Deum, cuius sedes coelum est, corda nostra attollimus: *Prophora*, scilicet *Oblatio* (2), quia Christi corpus et

---

(1) Eucharistiae, scilicet *gratiarum actionis* nomen inde desumptum; quod Christus Patri *gratias agens* Mysterium hoc instituerit, omnes norunt.

(2) Hoc nomine etiam Latini Eucharistiae Sacri-

sanguinem Deo offerimus. Latini autem sacrificium ipsum nuncupant *Collectam*; ad id enim peragendum in unum locum conveniunt fideles: *Dominicum*; in eo namque Dominus ipse, et victima, et Sacerdos est: *Agendam* vel *Actionem*; utpote maximi momenti rem: *Missam* denique, vel quod eius materiam populus mitteret; vel quod mittantur Angeli, ut tanto mysterio intersint; vel quod Christus ipse invisibilis Sacerdos se victimam invisibilem ad Deum mittat; vel quia denique ab Ecclesia mittebantur, quibus tremendo huic Sacrificio adesse nefas erat.

§. III. Prout vero Sacramentum est, Eucharistia vocatur *Communio*, iuxta illud Apostoli: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Chri-*

---

ficium appellarunt. Ita Tertullianus: *Felix matrimonium, quod Ecclesia conciliat, et confirmat* Oblatio, *et obsignat Benedictio.* Lib. II. ad uxorem.

sti est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? I. Corinth. X. 16. Ευλογια, seu *benedictio* ob panis, et vini consecrationem, secundum illud Alexandrini Cyrilli: *Accedimus ad mysticas Eulogias, et sanctificamur participes facti sacrae carnis, et pretiosi sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi.* Epist. ad Nestorium: *Viaticum*, cibus nempe divinus, quo, dum in hac vita peregrinamur, et praesertim quum ex hac ad alteram migraturi sumus, corroboramur.

CAPUT II.

Ecclesiae Catholicae circa Eucharistiam dogmata; atque haereticorum errores describuntur.

§. I. Quae circa Eucharistiam, prout Sacramentum, Catholica Ecclesia docet, haec sunt (1), nempe.

---

(1) Omnis Catholicae Ecclesiae doctrina circa Eucha-

I. In sanctissimo Eucharistiae sacramento per admirabilem panis, et vinis in corpus, et sanguinem Christi conversionem continetur vere, realiter, et substantialiter totus Christus Deus-homo.

II. Non in solo Eucharistiae usu, sed etiam ante, et post eius usum, consecratione iam peracta, sub utraque specie totus Christus permanet.

III. In Eucharistiae Sacramento Christus unigenitus Dei Filius, cultu latriae etiam externo, et publico adorandus est.

IV. Eucharistiae conficiendae ministri sunt soli Sacerdotes.

V. Ad Eucharistiam recte sumendam non sufficit sola fides, sed caritas etiam requiritur.

VI. Praecipuus Eucharistiae fructus non est

---

ristiam, prout Sacramentum est, vel Sacramenti huius naturam respicit, vel ministrum, vel effectus, vel necessitatem, vel praeparationem illi recipiendo praemittendam, vel denique adorationem illi exhibendam.

*

peccatorum remissio; sed alios effectus producit hoc Sacramentum.

VII. Eucharistiae perceptio sub utraque specie omnibus omnino fidelibus necessaria non est; atque ideo Ecclesia gravibus rationum momentis adducta laicis, et clericis non conficientibus, Eucharistiam sub sola panis specie praebendam iure, meritoque statuit.

VIII. Parvulis, qui nondum ratione utuntur, necessaria non est Eucharistiae communio.

Circa Eucharistiam vero, prout sacrificium, haec ad fidem pertinent; scilicet (1)

I. In Missa offertur Deo verum, et proprium Sacrificium, quod verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christus instituit.

II. Missae sacrificium non est nuda sacrificii in Cruce peracti commemoratio, nec tantum

---

(1) Quae vero circa Eucharistiam, prout Sacrificium est, docet eadem Catholica Ecclesia, alia Sacrificii huius veritatem, et naturam; alia ministrum, et eos pro quibus Sacrificium ipsum offerri potest; alia varium Missarum genus; alia denique Missae caeremonias respiciunt.

laudis, et gratiarum actionis; sed etiam propitiationis sacrificium, quod non soli sumenti prodest, sed pro vivis quoque, et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus recte offertur.

III. Missae sacrificium Christi sacrificio in Cruce peracto nec derogat, nec blasphemiam irrogat.

IV. Impostura non est Missas in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, celebrare.

V. Missae, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, ideoque non abrogandae.

VI. Caeremoniae, vestes, et externa signa, quibus in Missis celebrandis Catholica Ecclesia utitur, sunt officia pietatis, non irritabula impietatis.

§. II. Eucharistiam extra usum non esse Sacramentum in Oriente docuerunt Nestoriani; Armeni vero in hoc Sacramento non verum Christi corpus et sanguinem, sed tantum illorum signum exhiberi dixerunt.

Sed in Occidente Ioannes Scotus primus fuit, qui veram, et propriam Christi substantiam in Eucharistia contineri negaret. Berengarius autem initio Scoti sententiam tenuit; deinde veram Christi substantiam una cum substantia panis commiscuit; postremo utriusque errati veniam petiit in Concilio Romano sub Gregorio VII. catholicusque mortuus est. Petrobusiani Christum in ultima tantum coena corpus suum Apostolis manducandum dedisse, nunquam vero hoc Ecclesiae faciendum praescripsisse delirarunt. Porro veram Christi praesentiam in Eucharistia negarunt Albigenses; item Flagellantes, qui consecratum panem, et vinum *fictitium Deum* appellabant. Wicleffus modo veram Christi praesentiam, modo transubstantiationem negavit: in posteriori haeresi sectatorem habuit Lutherum; in priori vero Carlostadium, Zuinglium, Oecolampadium, Calvinum, Petrum Martyrem. Demum adversus Eucharistici sacrificii veritatem coniurarunt Zuingliani, Lutherani, Calvinistae; quibus est connumerandus Franci-

scus Le Couraier, qui in Eucharistia sacrificii rationem verbis agnovit, re autem vera destruxit *Dissertatione de ordinationibus Anglicanis*, et *Apologia Dissertationis*; totam enim Eucharistici sacrificii rationem in sola, ac nuda sacrificii Crucis commemoratione, repraesentatione, oblatione posuit; veram nempe Christi praesentiam in Altari prorsus sustulit.

Scholion.

Varias Eucharistiae figuras in Sacris Libris reperimus. Praecipuae dici possunt lignum vitae, manna, panes primitiarum, panes propositionis, panis subcinericius, quo Elias confortatus ad Horeb ascendit, agnus paschalis. De quibus figuris Angelicum audire praestat: *In hoc Sacramento tria considerare possumus; scilicet id quod est sacramentum tantum, quod est panis et vinum; et id quod est res et sacramentum, sc. corpus Christi verum; et quod est res tantum, scil. effectus huius sacramenti. Quantum igitur ad id quod est sacramentum tantum, potis-*

sima figura fuit huius sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem, et vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc Sacramento, figurae eius fuerunt omnia sacrificia Veteris Testamenti, praecipue Sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. Quantum autem ad effectum, fuit praecipua eius figura manna, quod habebat in se omnis saporis suavitatem, ut dicitur Sap. 16. *sicut et gratia huius sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. Sed agnus Paschalis quantum ad haec tria praefigurabat hoc Sacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis. Quantum vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quartadecima luna; quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus: quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni Paschalis protecti sunt filii Israel a devastante Angelo, et educti de Aegyptiaca servitute. III. p. qu. LXVIII. art. VI. c.*

CAPUT III.

Demonstratur Catholica doctrina circa Eucharistiam ; confutatur haeresis.

SECTIO I.

Confirmatur Catholica doctrina circa Eucharistiam, prout Sacramentum.

PROPOSITIO I.

In sanctissimo Eucharistiae Sacramento per admirabilem panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversionem (1) *continetur vere, realiter, et substantialiter totus Christus Deus-homo.*

Prob. I. Scripturis. Sic enim loquitur Christus: *Hic est panis de Coelo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ioan.

(1) Utramque veritatem, nempe *veram*, *realem ac substantialem Christi in Eucharistia praesentiam*, et *admirabilem panis et vini in Christi corpus et sanguinem conversionem* coniuncte demonstramus; utraque enim simul Catholicum Eucharistiae dogma constituit.

VI. 50. et seqq. quae postrema verba sic legit Graecus: και ὁ αρτος δε, ὃν εγω δωσω, ἡ σαρξ μου εστιν, ἣν εγω δωσω ὑπερ της του κοσμου ζωης, *et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Nimirum heic Christum non de fide, ut contendunt heterodoxi, sed de vera, et propria carne sua, loqui multa aperte demonstrant. Primum enim, regulam illam, qua Sacrae Scripturae verba proprio ac naturali sensu accipienda sunt, ubi nullam contradictionem offerant, omnes norunt. Atqui nullam contradictionem exhibent citata verba. Deinde litteralem sensum totus sermonis contextus inclamat. Nam primo ait, panem, quem daturus erat, fore carnem suam, illam ipsam carnem, quam Patri pro Mundi vita sacrificaturus erat. Deinde Iudaeis Christi verba de vera eius carne intelligentibus, atque invicem quaerentibus: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ioan. ib. 53. Christus non solum non respondit illos perperam verba sua intellexisse, quod certo non tacuisset,

si de fide, non de carne sua, loquutus fuisset; sed eundem sensum, quo Iudaei verba illa acceperant, magis magisque confirmat, addens: *Amen Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod iterum atque iterum, immo ter et quater repetit ibid. vers. 54. et seqq. Demum multis etiam discipulis Christum propter verba illa derelinquentibus, nullam aliam interpretationem, ut sibi eos reconciliaret, proposuit; quod indubitanter fecisset, si alio sensu, praeter litteralem, quod dixerat intelligendum foret; sed potius ceteros, qui secum remanserant, an et ipsi abire vellent, interrogavit ibid. v. 60. 66. 67. Illis ergo verbis Christus se veram, et propriam carnem suam manducandam daturum promisit. Praeterea iisdem verbis panis, et vini in corpus, et sanguinem suum conversionem ostendit. Quid enim panis nomine intelligendum sit, manifeste demonstrat, quum se panem illum esse dicit: *Ego sum panis vivus*; nec non quum carnem suam panem

illum esse addit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est.* In Eucharistia ergo panis substantia nullo modo remanet, sed tota in Christi corpus convertitur.

Quod vero promisit, re ipsa praestitit, ut narrant Matthaeus XXVI. 25, et seqq. Marcus, XVI. 22. et seqq. Lucas XXII. 19. et seqq. nec non Paulus I. Cor. XI. 23. et seqq. qui eum discipulis suis coenantem in manus panem accepisse referunt, gratiisque Patri peractis panem ipsum benedixisse his verbis: *Accipite, manducate; hoc est corpus meum*; itemque calice accepto, gratias agendo, discipulis ipsis obtulisse similibus verbis: *Bibite ex eo omnes; hic est enim sanguis meus novi Testamenti.* Quae quidem verba adeo sunt evidentia, ut nullum relinquant ambigendi locum. Praeterquamquod enim, ex praedicta sanctos libros explicandi regula, Dei verba sensu litterali accipienda sunt, quum Omnipotentiae non repugnet tam insigne miraculum, contextus ipse id clarissime ostendit. Nam illis verbis *Hoc est corpus meum* haec addit Lucas *quod*

pro vobis tradetur, *vel traditur*, ut habet Graecus το ὑπερ ὑμων διδομενον; nec non Paulus το ὑπερ ὑμων κλαζομενον· similique ratione verbis illis *Hic est sanguis meus* haec adiiciunt Matthaeus, et Marcus *qui pro multis effundetur*, vel *effunditur* το ὑπερ πολλων εκχυνομενον, Lucas vero το ὑπερ ὑμων εκχυνομενον, *qui pro vobis effunditur*. Christus igitur suum verum corpus, et sanguinem, illud ipsum corpus, quod pro nobis tradidit, illum ipsum sanguinem, quem pro nobis fudit, in Eucharistia nobis reliquit. Quod si non verum corpus et sanguinem, sed tantum corporis et sanguinis imaginem in Eucharistia nobis exhibere voluisset Christus, qui est ipsa Sapientia, et Veritas, aliquod profecto verbum, voculam aliquam inseruisset, qua a litterali sensu ad metaphoricum confugeremus : atqui id omnino non fecit, immo ita sermonem instituit, ut eius verba nullo alio sensu, quam proprio, ac litterali, intelligi possint. In Eucharistia ergo verum Christi corpus, proprius Christi sanguis continetur.

Nec solum summam Christi Sapientiam, et Veritatem ita loqui dedecuisset, si non proprio, at metaphorico sensu eius verba accipienda forent; sed infinitam quoque eius sanctitatem: nam faciliorem, ac opportuniorem in Idololatriae crimen incidendi occasionem ipse suis verbis obtulisset. Siquidem Ecclesia a primo usque saeculo Eucharistiam, ut veram Christi Dei-hominis carnem, ac verum sanguinem latriae cultu adoravit, quae quidem adoratio ex adversariorum sententia mera idololatria est. Eundem denique sensum verum, ac proprium evincunt, tum trium Evangelistarum cum Paulo in verbis Christi referendis mirabilis consensus; tum personarum, quibuscum Christus loquebatur, ac temporis, quo morti proximus suum veluti testamentum condebat, circumstantiae, quas coram explicabimus.

Demum Apostoli verba, quae Sacramenti huius usum respiciunt, tum realem praesentiam, tum transubstantiationem mirifice comprobant: *Calix benedictionis*, sic ait, *cui benedicimus, nonne communicatio sangui-*

nis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est. I. Cor. X. 16. Et paullo post: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit: non diiudicans corpus Domini* I. Cor. XI. 27. 28. 29. Quomodo enim calix est sanguinis Christi communicatio, et panis corporis Christi participatio, nisi quia vini substantia in Christi sanguinem, et panis in Christi corpus per consecrationem convertitur? Quomodo vero indigne manducans, et bibens, reus erit corporis, et sanguinis Domini, si id quod manducat, et bibit, aliud non est, quam panis, et vinum. Quid tandem significat illud: *non diiudicans corpus Domini*, nisi Eucharistiam panem, et vinum non esse, sed Christi corpus, et sanguinem sub panis, et vini speciebus?

Probatur II. ex Patribus. Ignatius enim

pro haereticis habet eos, qui Eucharistiam esse veram Christi carnem negant: *Eucharistia*, inquit, *et oratione* (ea nempe qua Eucharistia perficitur) *abstinent, quia non confitentur, ipsam carnem esse, quae pro peccatis nostris passa est, quam benignitate Pater suscitavit.* Epist. ad Smyrnaeos. Iustinus vero non solum adfirmat Eucharistiam esse Christi carnem, et sanguinem; sed etiam addit ea via, ac virtute, qua caro nostra, et sanguis coniuncta fuerunt Dei Filio in Incarnatione, eadem ipsa via, ac virtute panem, et vinum fieri Christi corpus et sanguinem in Eucharistia: *Atque nutrimentum hoc*, en Iustini verba, *a nobis Eucharistia vocatur, qua nulli alii vesci licet, nisi credenti vera esse quae docuimus; et qui lavacro ad remissionem peccatorum et regenerationem instituto ablutus sit; et qui ita vivat, ut docuit Christus. Non enim ut communem cibum, et communem potum talia accipimus; sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Salvator noster et carnem et san-*

guinem pro nostra salute habuit: ita nutrimentum hoc per preces sermonis ab ipso instituti sanctificatum, per quod carnes, et sanguis noster per transmutationem nutriuntur, sanguinem et carnem incarnati Iesu esse edocti sumus. Apol. ad Antoninum num. 66. Iustino coniungendus est Irenaeus, qui contra haereticos divini Verbi cum vera hominis natura hypostaticam unionem negantes, nec carnis nostrae futuram resurrectionem admittentes, scribens, utramque veritatem ex Catholica Eucharistiae doctrina sic deducit: *Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius, si non ipsum Fabricatoris mundi Filium dicant, idest Verbum eius?....... .. Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini, et sanguine alitur?* Adv. Haeres. Lib. IV. cap. XVIII. n. 4. 5. Non secus ac S. Irenaeus, carnis resurrectionem ex Eucharistia derivat Tertullianus; ideo enim probat non animam so-

lum salvam fore, sed etiam carnem, quod Sacramenta omnia per res corporeas incorpoream gratiam tribuunt: *Caro abluitur*, inquit, *ut anima emaculetur*; *caro inungitur*, *ut anima consecretur; caro corpore*, *et sanguine Christi vescitur*, *ut anima saginetur*. De Resurrect. carn. cap. VII. Atqui si Eucharistia non esset verum Christi corpus, sed tantum eius corporis figura, nihil probaret Tertulliani argumentum; nam sicuti non veram Christi carnem manducaret, qui Eucharistiam percipit, ita nec vera eius caro resurgeret. Tertulliano addimus Origenem illi fere coaevum; qui de puero Centurionis per Christum sanato verba faciens, ita loquitur: *Quando sanctum cibum*, *illudque incorruptum accipis epulum*, *quando vitae pane*, *et poculo frueris*, *manducas, et bibis corpus, et sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum*, *imitare hunc Centurionem*, *et dicito* : Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Ubi enim indigne in-*

greditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti. Homil. V. in diversa loca Evang. Idem testatur Cyprianus; et eos, qui, postquam Christi fidem abiuraverant, ad Eucharistiam accedere audebant, redarguens: *Corpus Domini,* ait, *invadunt, vis infertur corpori eius, et sanguini, et plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quam quum Dominum negarunt.* Lib. de lapsis. Concinit S. Hilarius: *De veritate carnis, et sanguinis, non est relictus ambigendi locus; nunc enim, et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est* Lib. VIII. de Trinit. Nec non Cyrillus Hierosolymitanus, qui veritatem hanc iterum atque iterum apertissime docet: *Christo igitur affirmante, atque dicente circa panem:* Hoc est corpus meum*; quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, et dicente:* Hic est sanguis meus; *quis, inquam, dubitet, et dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum in Cana Galilaeae potestate propria; et non erit fide dignus vi-*

num mutans in sanguinem? ..... Quare omni cum certitudine corpus, et sanguinem Christi sumamus, nam sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur sanguis, ut sumpto corpore, et sanguine Christi, efficiaris ei concorporeus, et consanguineus. Sic enim Christophori facti sumus, quum eius corpus, et sanguinem in membra nostra receperimus.... Quum igitur hoc didiceris, et plene intellexeris, qui videtur panis, panem non esse, etsi gustus panem sentiat, sed corpus Christi, et quod videtur vinum, vinum non esse, etsi gustus hoc velit, sed sanguinem Christi; et de hoc dixisse Davidem canendo: Et panis confirmat cor hominis... Catech. IV. mystag. n. 1. 111. Insuper Ambrosius inquit: *Forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? maioremque esse vim benedictionis, quam*

naturae, quia benedictione et natura ipsa mutatur? Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, et facta est serpens; aliisque multis exemplis allatis, concludit: *Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliae, ut ignem de coelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti:* Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, Incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem. Numquid naturae usus praecessit, quum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quaerimus, viro*

mixta foemina generare consuevit. Liquet igitur, quod praeter naturae ordinem virgo generavit: et hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, quum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus, hoc est corpus meum: *ante consecrationem verborum coelestium, species nominatur: post consecrationem corpus Christi significàtur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis*, amen: *hoc est*, verum est. De mysteriis Cap. IX. Nec dissimili ratione Alexandrinus Cyrillus: *Quod si perstas, o Iudaee, usurpare illud* quomodo (Christus carnem suam dare ad manducandum poterit?), *ego vicissim tuam imperitiam imitans, tibi reponam: quomodo egressus es ex Aegypto? quomodo, quaeso, in serpentem versa est virga Mosaica? quo-*

modo manus lepra infecta est, et in pristinum statum rursus rediit, ut scriptum est? quomodo in sanguinis naturam versa est aqua? quomodo per medium mare sicco pede transisti? quomodo amara illa aqua de Merra per lignum versa est in dulcem? quomodo tibi aqua e petrarum visceribus effluxit? quomodo propter te manna decidit? quomodo porro Iordanis immotus stetit? aut quomodo solo clamore Hierichuntis inexpugnabiles muri.... nec te loquentem deficiet illud quomodo? *Multis enim deprehenderis iam antea attonitus esse miraculis, de quibus si tuum illud* quomodo *subinde inferas, omni plane divinae Scripturae fidem derogabis.* Lib. IV. in Ioan. cap. II. Evidenter quoque veritatem ipsam docet Hieronymus his verbis: *Si ergo panis, qui de coelo descendit, corpus est Domini, et vinum, quod discipulis dedit, sanguis illius est novi testamenti, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, iudaicas fabulas repellamus, et ascendamus cum Domino coenaculum ma-*

gnum, stratum, atque mundatum: et accipiamus ab eo sursum calicem novi testamenti, ibique cum eo Pascha celebrantes inebriemur ab eo vino sobrietatis. Non enim est regnum Dei cibus, et potus, sed iustitia, et gaudium, et pax in Spiritu Sancto. Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conviva, et convivium, ipse comedens, et qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, et sine ipso potare non possumus, quotidie in sacrificiis eius de genimine vitis verae, et vineae sorec, *quae interpretatur* electa, *rubentia musta calcamus: et novum ex his vinum bibimus de regno Patris, nequaquam in vetustate litterae, sed in novitate spiritus.* Epist. ad Hedibiam. Eademque evidentia loquitur Chrysostomus: *Quamobrem oportet semper vigilare: non parvum enim imminet supplicium iis, qui indigne communicant. Cogita quantum contra proditorem indignaris, et contra eos, qui Christum crucifixerunt: cave ergo, ne tu reus sis corporis, et sanguinis Christi. Illi sacrum*

corpus trucidarunt; tu post tot beneficia cum sordida suscipis anima. Neque enim satis habuit hominem fieri, alapis caedi, immolari, sed seipsum commiscet nobiscum, non fide tantum, sed reipsa nos corpus suum constituit. Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? Quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quae hanc carnem secat, os quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam? Cogita quantum adeptus sis honorem? quanta fruaris mensa? quod Angeli tremunt videntes, nec sine metu respicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur; huic commiscemur, factique sumus Christi unum corpus, et una caro. Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius? *Quis pastor propriis sibi membris oves nutrit? Et quid pastorem dico? Matres saepe sunt, quae post partum infantes aliis dant: ipse vero id non passus est, sed nos proprio sanguine nutrit, et per omnia sibi copulat.* Hom.

XXVIII. in Matth. Augustinus denique, quem adversarii suis partibus favere gloriantur, veritatem hanc pluribus sententiis apertissimis comprobat, atque confirmat. Praecipuas afferamus: *De carne Mariae carnem accepit* (Verbum), *et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit*... In psal. XCVIII. n. 9. *Mediatorem Dei, et hominum hominem Christum Iesum*, inquit, *carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde, atque ore suscipimus*. Lib. II. contra adversar. Legis, et Prophetarum, n. 33. *Iudaei accesserunt ad illum* (Christum) *ut crucifigerent: nos ad eum accedamus, ut corpus, et sanguinem eius accipiamus. Illi de Crucifixo tenebrati sunt, nos manducando Crucifixum et illuminamur. Enarrat.* in psal. XXXIII. n. 10. *Nam et nos de cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus.* In psal. C. n. 9. *In sacramento spei, in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur, quod de Christi latere manavit*

Lib. XII. cont. Faust. cap. X. *Fusus Domini sanguis donatus est homicidis, et non dicam deicidis*, quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. *Modo homicidis donatus est fusus sanguis innocentis: et ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.* In psal. LXV. n. 15. *Conversi sunt ex ipso populo Iudaeorum: conversi sunt, baptizati sunt, ad mensam Domini accesserunt, et sanguinem, quem saevientes fuderunt, credentes biberunt.* Serm. LXXVII. cap. III. *Et ferebatur in manibus suis. Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelliget? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David, secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait:* hoc est corpus meum. *Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* In psal. XXXIII, n. 10. *Quomodo ferebatur in ma-*

nibus suis, quia quum commendaret ipsum corpus suum, et sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, et ipse se portabat quodammodo, quum diceret: Hoc est corpus meum. In psal. XXXIII. serm. II. n. 2. Quae duo postrema Augustini testimonia expendens Guitmundus, recte concludebat: *Non figuram tantum, vel umbram, sicut adversarii nostri dicunt, sed substantiam sui corporis iuxta Augustinum ferebat Christus. Quid hic umbratici respondebunt? Ubi in tanta luce lucifugae nostri umbram parabunt? Ecce Augustini manifestissima documenta recitantur: nihil in eis scrupulosum, nihil ambiguum. Aut de his se explicent, aut Augustinum nobis obiicere desistant: et sicut Augustinus testatur, veritatem Dominici corporis nobiscum credant. Sed forsitan hoc non adverterant scriptum. Si enim hoc fideliter attendissent, adhuc suam haeresim ex beato Augustino non traxissent.* De Veritate Eucharist. Lib. II. in Tom. 18. Bibliothec. Patrum. Lugd. CIↃIↃCLXXII. pag. 456.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Berengarius enim ipse in Romana Synodo anni 1078 doctrinam de reali Christi praesentia, et de panis, et vini in Christi corpus, et sanguinem conversione ab omnibus omnino Ecclesiis retineri confessus est. Nimirum universae tum orientis, tum occidentis Ecclesiae, ne iis quidem exclusis, quae a Romana defecerunt, doctrinam hanc professae fuere; ut patet prae ceteris ex Natali Alexandro, qui Graecae cum Latina Ecclesia in hac doctrina consensum, itemque Christianorum Moscovitarum, Armenorum, Indicorum, Cophthorum, Aethiopum cum Graecis, et Latinis in eodem dogmate concordiam monumentis probat. **Hist. Eccl. Saec. XI. et XII. Dissert. XII. Art. III. n. 9. Universalem hanc Ecclesiae fidem definitionibus suis confirmarunt Concilia Generalia; nimirum Lateranense Concilium IV. quum inter veritates, quas firmiter credit, et simpliciter confitetur, haec reperiatur: *Corpus, et Sanguis* (Christi) *in sacramento Altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continentur, transubstan-***

tiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Cap. I. De fide Cath. Et paullo post haec leguntur : *Excommunicamus, et anathematizamus omnem haeresim extollentem se adversus hanc sanctam, orthodoxam, Catholicam fidem, quam superius exposuimus.* Cap. III. Concilium Constantiense : *Firmissime credendum, et nullatenus dubitandum, integrum Christi et sanguinem, tam sub specie panis, quam corpus, sub specie vini veraciter contineri.* Sess. XIII. Concilium Florentinum, cui interfuit ipse Eugenius IV. : *Ipsorum verborum* (quibus nempe perficitur consecratio) *virtute, substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen ut totus Christus contineatur sub specie panis, et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiae consecratae, et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.* Decret. pro instr. Armen. Tridentina denique Synodus: *Si quis*

negaverit in sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit. Sess. XIII. Can. I. *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis, et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Iesu Christi; negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit.* ibid. Can. II. (1).

---

(1) In Actis Conciliorum tum Nicaeni I. et Ephesini Oecumenicorum, tum Quinisexti praeclara etiam legimus veritatis huius testimonia. Vide

Prob. V. rat. Theolog. Ut magis magisque innotescat, quam absurda sit, atque Scripturarum sententiis contraria Sacramentariorum circa Eucharistiam opinio; et quam firmum, ac evidens Catholicum dogma, paucas animadversiones addimus. Primo enim Christum in sermone, quem cum Iudaeis habuit, ut refert Ioannes ante citatus, non de spirituali fidei cibo, sed de vero, ac proprio ipsius corpore, et sanguine locutum fuisse, praeter illa, quae iam notavimus, haec aperte ostendunt. Scilicet Christus de cibo, et potu, quem daturus erat, verba facit: at fidem iam multi etiam ante Christi adventum, etsi non sine Christi meritis, professi fuerant; ac Iudaeis ipsis spiritualem hunc fidei cibum iam Christus suppeditaverat v. 29.

Labbaeum Concil. Tom. II. pag. 49 et 234 Tom III. pag.404. Tom. VI pag. 1153 et 1185 Tom. VII. pag. 447 et 450. Luter. Paris. CIↃIↃCLXXI. Multa particularia Concilia, quae eamdem doctrinam evidentissime confirmant, silentio praetermittimus.

et seqq. Quid vero fidei in Christi corpus, et sanguinem, quae Iudaeorum oculis obversabantur, Iudaeis ipsis opus erat? De alio igitur cibo, ac potu loquitur, nempe de mysterio illo, in quo veram carnem suam, ac proprium sanguinem daturus erat.

Porro interpretationes, quibus adversarii verba illa Christi, *hoc est corpus meum*, ad realem Christi praesentiam, vel transubstantiationem negandam detorquere conantur, adeo ridiculae, ac variae sunt, ut catholicum sensum vel magis comprobent. Si enim ea verba non aliud significant, quam *hoc est corporis mei imago*, nihil erit amplius in sacris Libris, quod proprio, ac litterali sensu accipi possit: siquidem nulla dari potest propositio magis simplex, ac nitida, quam eiusmodi, *hoc est corpus meum* (1). Ac profecto,

(1) Propositionis huius perspicuitatem multi ex ipsis Protestantibus confessi sunt. Sic enim loquitur Martinus Lutherus: *Hoc diffiteri nec possum, nec volo, quod si Carlostadius, aut alius quis-*

si metaphorica verba illa essent, et Apostoli proprium sensum, ut alias, exquisivissent, et Christus ipsis clare aperuisset. Quum namque in parabolis loqueretur turbis; Apostolis tamen occultum illarum sensum aperte manifestabat. Nimirum *vobis datum est*, sic ait illis, *nosse mysteria Dei*, *ceteris autem non sic*. Matth. XIII. II.

---

piam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in Sacramento praeter panem, et vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius, in hac excutienda materia multum desudabam; omnibus nervis extensis me extricare, et expedire conatus sum, quum probe perspiciebam, hac re Papatui cum primis me valde incommodare posse. Verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Evangelii nimis apertus est, et potens, qui facile convelli non potest: multo minus verbis, aut glossis e capite vertiginoso confictis subverti. Epist. ad Argentinens. et Lib. de verit. corp. et sang. Dom. in coena. Nec non Philippus Melanthon, cuius verba haec sunt: *Ego itaque sequor veteris Ecclesiae sententiam, quae affirmat adesse*

Quod vero ad transubstantiationem attinet, absona et absurda est tum *Consubstantiatorum*, tum *Impanatorum* expositio. In omni enim propositione adfirmativa, de eadem re subiectum, ac praedicatum intelligenda sunt. Si ergo in Eucharistia una cum Christi corpore adesset substantia panis, ut *Con-*

---

corpus Christi in coena, ac iudico hoc habere scripturae testimonium. Non enim invenio firmam rationem, cur nomine corporis in verbis coenae oporteat tantum absentis corporis signum intelligi ...... *Quod si licet hos* (scilicet Scripturae locos) *quoquo modo interpretari, depravari poterunt omnia* Lib. de. ver. corp. et sang. Dom. in coena. Item Ioannes Oecolampadius: *Simpliciter, et absque haesitatione credamus adesse, et contineri sub hoc pane verum corpus, sub vino autem sanguinem. Non dico figuram, et typum, ut sacrificium Abel, ut oblationem Melchisedech, ut Agnum paschalem,* .... *et ceteras veteris Testamenti figuras. Absit id blasphemiae, ut tantum tribuamus umbrae, quantum luci, et veritati. Panis enim hic nobis non tantum figurat, sed est corpus ipsum Domini.* Conc. de vera corpor. Christi praesent. in Euch.

substantiatores contendunt, Christus verbis illis; *hoc est corpus meum,* id significare voluisset, (panem scilicet esse corpus suum), quod evidenter absonum et absurdum est, quum panis, et corpus Christi sint duae substantiae omnino diversae. Nec minus absurda esset Christi propositio, si panis corpori Christi hypostatice coniungeretur, ut *Impanatores* delirant. Hypostatica enim duarum naturarum coniunctio naturas ipsas non confundit. Sicut ergo in Incarnatione neque Divinitas dici potest humanitas, neque humanitas vicissim Divinitas; ita in Eucharistia nec panis dici posset Christi corpus, nec Christi corpus vice versa panis.

Obiecta diluuntur.

Obiicies I. In Scripturis saepe metaphorico sensu accipiuntur verba haec : *manducare, bibere* ; ut e. c. *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Prov. IX. 5. Et : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.*

Ioan. IV. 13. Ergo etiam allata Christi verba Ioan. VI. metaphorico sensu intelligenda sunt.

Resp. Ex metaphorica quorumdam verborum interpretatione, ad quam in nonnullis Scripturae sententiis confugiendum est, perperam concludit adversarius, eadem verba semper metaphorico sensu esse intelligenda. Ibi enim locum habet metaphora, ubi nulla ratione cohaeret litteralis sensus. Nimirum in allatis exemplis litteralis sensus est omnino absurdus; nec sapientia enim, nec gratia comedi potest, aut bibi: potest autem cibi, et potus rationem habere caro, et sanguis Christi. Contextus igitur in prioribus dictis proprium sensum omnino excludit; in postremo vero non modo non excludit, verum etiam pluribus rationibus inclamat, ut iam ostendimus.

Inst. I.° Atqui Christus ipse metaphorico sensu verba sua accipienda esse indicat; quum Iudaeis interrogantibus, quid esset cibus, de quo ipse loquebatur, dicens: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam;* respondit: *Hoc est opus*

Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Ioan. VI. 27. 29. Quam Christi responsionem exponens Augustinus, ait: *Ut quid paras dentes, et ventrem? Crede, et manducasti.* Tract. XXV. in Ioan.

Resp. Etsi Christus sermonis illius initio de metaphorico Fidei cibo loquatur, eum tamen ita praebet, ut per ipsum ad verum, ac proprium cibum sumendum disponat, de quo deinceps a v. 52. praesertim sermonem habet, ut ante demonstravimus. Quamobrem nil mirum, quod Augustinus metaphorice priora illa verba intellexerit. Quod vero idem Augustinus Christum in eo capite de vero, ac proprio sui corporis, et sanguinis cibo, ac potu verba fecisse senserit, aperte colligitur ex hoc ipsius Augustini testimonio: *Illud etiam quod ait*: Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo: *quomodo intellecturi sumus? numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducant, et bibunt, quum ipsam carnem manducent, et*

ipsum sanguinem bibant. Numquid et Iudas magistri venditor, et traditor impius, quamvis primum ipsum manibus eius confectum sacramentum carnis, et sanguinis eius cum ceteris Discipulis, sicut apertius Lucas Evangelista declarat, manducaret, et biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, et sanguinem bibunt, vel quum manducaverint, et biberint, Apostatae fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem, et bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit, et biberit, in Christo manet, et Christus in eo. De Verb. Dom. Serm. XI.

Instabis II. Idem Christus illius cibi, ac potus naturam explicans ait: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Ioan. VI. 57. Atqui in nobis non manet Christus, nisi spiritualiter. Ergo spiritualis etiam est comedendi, et bibendi ratio.

Resp. I. Sacramentorum effectus spiritualis quidem est ; at ex hoc illud non recte deducitur, res nempe, quae in Sacramentis adhibentur, naturales ac proprias non esse. In Sacramentis enim per corporeas res gratia, quae incorporea est, datur, ut in Baptismo per aquam spiritualis regeneratio: quidni ergo per verum Christi corpus, et sanguinem ipsius Christi spiritualis mansio in nobis producatur ?

Resp. II. Duplex est Christi mansio in illis, qui eius carnem manducant, ac sanguinem bibunt. Altera spiritualis, quae iustorum tantum est, qui sanctificante gratia praediti ad Eucharistiam accedunt: altera corporalis, quae iustis, et iniquis communis est; quum in utrisque Christi corpus corpori ipsorum coniungatur. De posteriore loquitur Tertullianus: *Caro corpore, et sanguine Christi vescitur....* De resurrect. Cap. VIII. Et Hilarius: *In nobis carnalibus per carnem Christum habemus.* Lib. VIII. de Trin. n. 13.

Inst. III. Quum Discipuli verba Christi

audientes horrescerent, ac dicerent: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Christus respondit: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt.* Ioan. VI. 61. 64.

Resp. Quod Christus dicit carnem nihil prodesse, non de carne sua intelligendum est, sed de carnali modo, quo Iudaei illius verba interpretabantur, quasi carnem suam dilaniando, et sanguinem suum fundendo *in propria specie*, at aiunt Scholae, eis daturus esset. Igitur Christi verba: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, eamdem vim habent, ac illa Apostoli: *Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei..... quia spiritualiter examinatur.* I. Cor. II. 14. et alibi: *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* II. Cor. III. 6. Adde quod animadvertit Augustinus, illam Christi sententiam explicans: *O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, quum tu dixeris*: nisi quis man-

ducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? *An vita non prodest quidquam, et propter quid sumus, quum sumus, nisi ut habeamus vitam aeternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo non prodest quidquam? Caro non prodest quidquam: sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est*, caro non prodest quicquam, *quomodo dictum est*, scientia inflat. *Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est*, scientia inflat? *Sola sine caritate. Ideo adiunxit*: caritas vero aedificat. *Adde ergo scientiae caritatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per caritatem: sic ex nunc caro non prodest quidquam, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, et prodest plurimum.* Tract. XXVII. in Ioan.

Obiic. II. Pronomen *hoc* in propositione illa, *Hoc est corpus meum*, vel corpus

Christi, vel panem indicat. Atqui corpus Christi indicare non potest, antequam forma Sacramenti absolvatur. Ergo indicat panem. Sed panis non potest esse re ipsa Christi corpus, quum diversa sit utriusque natura. Ergo est mera Christi corporis figura.

Resp. Duplex distinguendum est propositionum genus; alterum earum, quae speculativae, alterum, quae practicae vocantur. In propositionibus speculativis eadem, et constans est verbornm significatio; in practicis vero talis non est, nisi propositione iam absoluta. Pronomen *Hoc* igitur, antequam propositio integra enuntietur, panem indicat in Christi corpus convertendum; propositione iam enuntiata Christi corpus significat, in quod vi, et efficacia eiusdem propositionis convertitur panis. Ut autem exemplo res clarior fiat, fingamus Christum, quum aquam in vinum converteret in Cana Galilaeae, dixisse, aquam indicando, *hoc est vinum*: tunc pronomen *hoc* initio propositionis aquam in vinum convertendam significasset, propositione vero completa, vinum,

in quod, ipsius propositionis virtute, aqua conversa est.

Obiicies III. Verbum *esse* in sacris litteris saepe nihil aliud sonat, quam *significare*. Sic: *Septem boves pulchrae, et septem spicae plenae septem ubertatis anni sunt.* Gen. LXI. 26. *Ossa haec universa domus Israel est.* Ezech. XXXVII. 11. *Qui seminat bonum semen est filius hominis: ager autem est mundus: bonum vero semen hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam* Matth. XIII. 37. *Ego sum ostium* Ioan. X. 7. *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.* Idem cap. XV. 1. *Bibebant de consequente eos petra; petra autem erat Christus.* I. Cor. X. 4.

Resp. At saepius idem verbum *esse* in sacris litteris id quod revera *est* denotat. Sic: *Dixitque ei Deus: Ego sum, et ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium* Gen. XVII. 4. *Ego sum Deus patris tui* Exod. III. 6. *Ego sum qui sum ..... qui est misit me ad vos.* ibid. 14. *Haec sunt praecepta, et caeremoniae, at-*

que iudicia, quae mandavit Dominus. Deut. VI. 1. *Gens absque consilio est, et sine prudentia.* ibid. XXXII. 28. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius praeter me.* ibid. 59. *Deus meus es tu.* Psalm. XV. 1. *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est.* Matth. I. 20. *Qui autem post me venturus est fortior me est.* ibid. III. 11. *Hic est Filius meus dilectus.* ibid. 17. *Tu es Christus filius Dei vivi.* ibid. XVI. 16. *In principio erat Verbum.* Ioan. I. 1. sexcentaque alia eiusmodi. Quid ergo? Contextus sermonis quando sensu proprio ac litterali, quando vero sensu improprio ac metaphorico accipiendum sit verbum illud evidenter ostendet. Atqui totus Christi sermonis contextus proprium ac litteralem sensum requirit. Nihil igitur probant allata ab Adversario exempla. Porro, si locum haberet quod nobis hic obiiciunt Adversarii, de doctrinis omnibus revelatis actum esset; universa enim Scripturarum testimonia, quae ad eas confirmandas adhibemus, improprio, ac metaphorico sensu interpre-

tantur haeretici, qui doctrinas ipsas obstinato animo pernegant: nec ipsi pseudo-Reformati Trinitatis, atque Incarnationis Mysterium amplius demonstrare possent ex Scripturis. Quinimmo tota sacra Scriptura, quanta quanta est, in metaphoras, et allegorias abiret, quod sane fuit quorumdam delirium. Porro faciliorem, ac expeditiorem nodi huius solvendi viam calcavimus. Ceterum non defuerunt, qui verbo *esse* nusquam Scripturas eo sensu uti, quem prae se ferunt obiecta ab Adversario testimonia, contendant; siquidem etiam in his testimoniis eamdem vim retinet, nempe veram, ac propriam rerum existentiam significandi, ut ipsi iudicant. Vide Estium in I. Cor. cap. X. v. 4.

Obiic. IV. Quaedam sunt in illo ipso Christi sermone, quae nonnisi metaphorice possunt intelligi, ut quod Christum dixisse refert Lucas: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur.* XXII. 20. nec non quod legitur in prima Pauli ad Corinthios: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: Graece,

quod pro vobis frangitur. I. Cor. XI. 24. Nec enim calix erat proprie novum testamentum, sed novi testamenti signum; et Christi corpus tunc non frangebatur, nisi mystice. Ergo etiam ea verba *Hoc est corpus meum* metaphorice intelligi possunt.

Resp. Duplex est signorum genus; alterum eorum, quae rem significatam non continent: alterum eorum, in quibus significata res continetur. De secundo hoc signorum genere ita loquitur Augustinus: *Quaerendae etiam locutiones, quibus per id, quod continet, significetur id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus abscedit) per ipsum aptius significata sit anima, et eius nomen sanguis acceperit. Sicut Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur:* ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. *Hac tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait:* Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut

Ecclesiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut in Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiae congregatio continetur.* Quaest. LVII. in Levit. n. 3. Calix igitur Christi sanguinem, quo novum testamentum confirmatum est, continebat; ideoque signum erat testamenti, quod eo sanguine confirmandum erat. Corpus vero, qui panis accidentibus suberat recte dicitur a Paulo frangi ob accidentium, quibus continetur, fractionem. Illud praeterea animadvertendum, quod Calix Christi etiam vere appellari potuit *novum testamentum.* Si enim scripta bonorum dispositio, qua quilibet morti proximus haeredi ius in facultates suas concedit, ipsorumque bonorum recensio testamentum appellatur, nonne sanguine suo Christus bonorum suorum haeredem Ecclesiam scripsit? nonne bona omnia, quae Christus iam iam moriturus Ecclesiae reliquit, in Calice illo continebantur? Quomodo enim Christus testa-

mentum suum scripsit, nisi sanguinem suum fundendo? Quid vero Ecclesiae largitus est Christus, nisi sanguinem suum, quo peccata delentur, et quaevis gratia per Sacramenta adquiritur? Iure igitur, meritoque Calix ille *novum testamentum* a Christo appellatus est.

Obiicies V. Ecclesiae Patres Eucharistiam aliquando nominibus appellarunt, quae veram, ac propriam Christi praesentiam excludunt; eiusmodi nomina sunt 1. *signum, antitypum, symbolum.* 2. *panis, et vinum.* 3. *substantia, natura panis et vini.*

Resp. Quod ad nomina primo loco posita attinet, iam supra animadvertimus duo esse signorum, vel symbolorum genera, alterum nempe eorum, quae rem a se disiunctam, alterum vero eorum, quae rem sibi coniunctam indicant. Quum igitur ea nomina adhibent Patres, nihil aliud significare volunt, nisi panis et vini accidentia, quae in sensus incurrunt, signa esse et figuras, quae Christi corpus, et sanguinem sub accidentibus ipsis permanentia exhibent. Nimirum, ut eiusmodi dicendi rationem a Patribus adhi-

bitam, qua figuram ab ipsa re non separant, exemplo comprobemus, hanc Tertulliani argumentationem afferre satis erit: ***Plane de substantia Christi putant et hic Marcionitae suffragari Apostolum sibi, quod phantasma carnis fuerit in Christo, quum dicit, quod*** in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo, sed exhausit semetipsum accepta effigie servi, *non veritate*, et similitudine hominis, *non homine*, et figura inventus homo, ***non substantia, id est non carne; quasi non et figura, et similitudo, et effigies substantiae quoque accedant.*** Adv. Marcion. Lib. V. cap. XX.

Quod autem ad panis, et vini nomina spectat, sic a Patribus appellatur Eucharistia ab ea parte, quae exterius apparet: non raro enim accidit, ut res iis nominibus vocemus, quae soli earum aspectui conveniunt. Sic quoque Eucharistiam vocant, quod ex pane et vino, per transubstantiationem, fiat Christi corpus, et sanguis. Non secus ac serpens, in quem virga Aaron conversa

est, virga in Scripturis appellatur: *Devoravit virga Aaron virgas eorum* Exod. VII. 12. Tertiam denique horum nominum rationem nobis offert Scripturarum consuetudo, in quibus panis ac vini nomine omnis cibus ac potus appellatur. Ut exempli causa: *In sudore vultus tui vesceris pane.* Gen. III. 19. *Nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur.* ibid XXXIX. 6. *Et panem otiosa non comedit.* Prov. XXXI. 27. *In risum faciunt panem, et vinum*, scilicet comedunt, et bibunt. Eccle. X. 19. *Quum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum Sabbato manducare panem.* Luc. XIV. 1. Quia ergo corpus et sanguis Christi in Eucharistia, cibi et potus rationem habet, iure meritoque panis et vinum a Patribus, immo et in ipsis Scripturis nominatur. An non dixit Christus: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est?* Ioan. VI. 52. An non dixit Apostolus: *Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* I. Cor. X. 16. Itaque ipsius Christi, et Apostolorum exem-

pla sequuti sunt tum veteres, tum hodierni Catholici, quum Eucharistiam panis, et vini nominibus appellant. Quis interea hodiernos Catholicos non modo veram Christi praesentiam, sed etiam panis et vini *transubstantiationem* fide profiteri vel minimum dubitavit? Nullus certe. Igitur multo minus veterum fides in dubium revocari potest, qui ante exortas haereses securius loquebantur.

Denique quod ad substantiae, et naturae nomina, respondeo primum Opera in quibus haec nomina leguntur Scriptorum, quorum nomen praeseferunt, certos ac proprios foetus dici non posse. Merito enim in dubium revocari potest sit, nec ne Sancti Ioan. Chrysostomi Epistola ad Caesarium, in qua dicitur natura panis in Eucharistia permanere, ut ostendit Natalis Alexander Hist. Eccles. Saec. XI et XII. Dissert. XII. artic. XVI. num. 5. Gelasio vero suppositum esse librum *de duabus in Christo naturis*, in quo verba haec reperiuntur: *et tamen esse non desinit substantia, vel natura*

panis et vini; probat Baronius ad annum. 496. Deinde animadvertendum est, naturam quandoque appellari a Patribus non rem ipsam, sed rei proprietates: significationis huius illustre nobis praebet exemplum Tertullianus, ubi ait: *Aliud est substantia, aliud est natura substantiae . . . . substantia est lapis, ferrum; duritia lapidis, et ferri natura substantiae est.* De anima cap. XXXII. Nec eiusmodi significatio latinis scriptoribus ignota fuit.

Nunc age, naturas apibus, quas Iuppiter ipse
Addidit, expediam

Virg. Georg. IV. v. 149.

Naturam furca expellas tamen usque recurret.

Horat. Lib. I. Epist. X. v. 24.

Igitur panis et vini proprietates, seu accidentia, quae post transubstantiationem remanent, naturae, ac substantiae nomine appellarunt Scriptores, quos nobis obiiciunt, ut ex ipso sermonis eorum contextu patet. Ita enim loquitur primus: *Etsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum Filii corpus praedicatur.* Alter vero: *Satis ergo nobis evidenter ostenditur hoc nobis in ipso*

Christo Domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus et sumimus, ut sicut in hanc, scilicet in divinam transeunt, Sancto Spiritu perficiente, substantiam, permanente tamen in suae proprietate naturae, etc. Quis vero in Patrum operibus legendis vel tyro ignorat aliqua verba non eodem sensu usurpasse Patres omnes? An Adversarii ipsi variam vocum illorum ὑποστάσεως, et φύσεως significationem apud Patres, quum de SS. Trinitatis, et Incarnationis Mysterio loquuntur, nobiscum non agnoscunt? Vide, si lubet, Petavium De Trinitate lib. IV. cap. I. et II. ac de Incarnatione Lib. II. cap. III. Quod igitur in Trinitatis, et Incarnationis mysterio describendo factitatum est, ut nempe Patres ante haereses subortas securius loquerentur; idem in Eucharistiae mysterio evenisse nemo sanae mentis dubitare potest.

Objic. VI. In Eucharistia iuxta Tertullianum panis repraesentat corpus Christi. Probans enim adversus Marcionem Christum Dei filium Patri suo rerum omnium Creatori con-

trarium non esse sic loquitur: *Nec aquam reprobavit Creatoris* (Christus), *qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit.....: nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat.* Lib. I. adv. Marcion. Cap. XIV. Tertullianus ergo in Eucharistia solam corporis Christi imaginem agnoscit per panem nobis exhibitam.

Resp. *Repraesentare* non semper rei imaginem oculis exhibere, sed quandoque etiam rem ipsam praesentem facere significat apud scriptores Latinos. Legimus enim in Plinio: *Callaides viliores constantius colorem repraesentant*, scilicet praesentem exhibent, ac servant. Lib. XXXVII. Cap. VIII. In Frontino: *Ut aestimet, quae repraesentanda*, scilicet statim adhibenda, *quae differenda sint.* De Aquaeduct. art; 119. In Cicerone: *Neque debemus expectare temporis medicinam, quam repraesentare,* idest in praesenti afferre, *ratione possimus.* Epist. familiar. Lib. V. Epist. 16. In Suetonio: *Positis ante se cum pecunia fiscis ad subveniendum hortatus est, repraesentans,*

scilicet illico dans *pro opera dignam cuique mercedem.* Nec alia est vocabuli huius significatio in obiecta Tertulliani sententia; siquidem in illo ipso Opere contra Marcionem Deum Patrem scribit *repraesentasse* filium suum in monte Thabor (Lib. IV. Cap. XXII.) quod quidem nihil aliud significare potest, nisi praesentem exhibuisse. Et alibi sic loquitur: *Itaque perfectam plenitudinem, perfectionemque iudicii nonnisi de totius hominis repraesentatione constare: totum porro hominem ex totius substantiae concretione parere, idcircoque in utraque exhibendum, quum totum oporteat indicari.* De Resur. Carn. Cap. XIV. Similiter: *Carnem etiam..... repraesentandam esse iudicio*, inquit ibid. Cap. XVII. Itemque spei opponens repraesentationem, atque repraesentationem cum ipsa rei possessione confundens ait: *Adeo contemplatio est spei in hoc spatio per fidem, non repraesentatio; nec possessio, sed expectatio.* De Resur. car. Cap. XXII.

Obiic. VII. Idem Tertullianus veram et

propriam Christi praesentiam ab Eucharistia excludit ita scribens: *Acceptum panem, et distributum discipulis corpus suum illum fecit* hoc est corpus meum *dicendo*, *idest figura corporis mei.* Advers. Marcion. Lib. IV. Cap. XL.

Resp. I. Quum pani figurae nomen tribuit Tertullianus, non de Eucharistia loquitur, in qua Christus panem corpus suum effecit, sed de pane, qui in veteri Testamento corporis Christi figura fuit. Rem ita se habere evidenter ostendunt quae illico sequuntur verba: *Figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus*; scilicet nisi Christi corpus verum esset (quod Marcion contendebat) panis in antiquo foedere eius corporis figura non fuisset. Si enim panem, quem Christus in manus accepit ut corpus suum faceret, *figuram* appellaret Tertullianus, *esset* non *fuisset* dicere illum oportebat. Evidentius idem ostendunt alia verba, quae paulo post addit Tertullianus: *non intelligens*, Marcion, *veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Ieremiam*: Ad-

versus me cogitaverunt cogitatum dicentes: Venite couiiciamus lignum in panem eius; *scilicet crucem in corpus eius...... Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas*, o Marcion, *aderit Isaias*... Ibidem. Evidentissime demum idem confirmat Tertulliani scopus, in eo enim libro veteris, et novi Testamenti sibi demonstrandam concordiam adversus Marcionem assumens; veteris Testamenti figuras novi Testamenti veritatibus respondere probat; ideoque panem in veteri Testamento corporis Christi figuram fuisse Ieremiae prophetia, in novo autem panem ipsum verum corpus suum a Christo factum fuisse ipsius Christi verbis ostendit. In sententia igitur Tertulliani nobis obiecta verborum ordinem praeposterum animadvertere opus est, quod quidem Tertulliano familiare, quum eius ratio dicendi nimis aspera sit, et quandoque confusa. Itaque si verba ordine debito disponas, verum Tertulliani sensum adsequeris; hic autem est verborum ordo: *Acceptum panem, et distributum discipulis corpus suum fecit*

illum scilicet panem qui in veteri Testamento *figura* erat *corporis sui*, hoc est corpus meum *dicendo*. Quod autem verborum ordinem nonnumquam confundat Tertullianus, in eodem capite exemplum reperimus: *Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit*, scilicet sanguinem in vino figuravit. Et paullo ante: *Aperiam in parabolam aurem meam, idest similitudinem*. ibid. Cap. XI. Nec non alibi: *Christus mortuus est, idest unctus*. Cont. Prax. Cap. XXIX. Ceterum catholicam de Eucharistia doctrinam professum fuisse Tertullianum tam certum est, quam quod certissimum. Nam, praeter eius sententiam manifestissimam, quam supra pag. 24. ex Lib. de Resur. carn. Cap. VIII. exscripsimus, alterum habemus ipsius testimonium in Lib. de Idololatria, in quo eos insectatus, qui quum idola fabricarentur Eucharistiam sumere audebant, ipsos ait *eas manus admovere corpori Domini, quae Daemoniis corpora conferunt*: atque exclamat: *Proh scelus! semel Iudaei Christo manus intu-*

lerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus praecidendae!...... quae magis amputandae, quam in quibus corpus Domini scandalizatur? Cap. VII. aliaque multa, quae vide si lubet, in Pamelii notationibus ad Tertulliani verba quae nobis obiiciunt Adversarii ex Cap. XL. Lib. IV. advers. Marcion.

Obiic. VIII. Augustinus in Sermone, quo recens baptizatos alloquitur, de Eucharistia haec ait: *Quod videtis, panis est et calix; quod vobis etiam oculi vestri renuntiant.* Et paullo post, dubitationi, quae in aliquorum mente oboriri potuisset, quomodo scilicet Christus, qui iam in Coelos ascendit in Eucharistia esse possit, respondens ait: *Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritalem.* Ergo, concludit Albertinus, Eucharistia nihil aliud est, secundum Augustinum, nisi corporis et sanguinis Christi imago. Serm. CCLXXII.

Resp. In Eucharistia duo sunt distinguenda, scilicet id quod exterius apparet, et id quod interius absconditur. Ad exteriorem Eucharistiae adspectum, nempe ad panis et vini accidentia referuntur priora Augustini verba: *Quod videtis panis est, et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant.* Interiorem vero Eucharistiae substantiam, scilicet Christi corpus et sanguinem non tacet Augugustinus; statim namque addit: *quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi.*

Quod autem ad Augustini verba, quae secundo loco nobis obiiciuntur, animadvertendum est Sermonis illius scopum non esse Eucharistici sacramenti naturam exponere, sed sacramenti ipsius mysticam significationem explicare. Eucharistiae enim naturam didicerant iam neophyti, quum tria haec sacramenta Baptismus, Confirmatio, Eucharistia simul reciperentur more temporibus illis usitato, ideoque trium sacramentorum natura ante Baptismum explicaretur. Nimirum in eo sermone sic ad neo-

phytos loquitur Augustinus: *Hoc quod videtis in altari Dei etiam transacta nocte vidistis: sed quid esset, quam magnae rei sacramentum contineret, nondum audistis.* Neophytorum autem dubitatio non circa veram Christi corporis praesentiam in Eucharistia versabatur, sed circa Sacramenti significationem: id nempe intelligere cupiebant, quam scilicet ob rationem Christus corpus et sanguinem suum sub panis et vini symbolis reliquisset. Recte ergo respondet Augustinus: *Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritale.* Atque spiritalem hunc fructum, seu mysticam Eucharistiae significationem, explanans, sic sermonem suum prosequitur: *Corpus ergo Christi, si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus.* Vos autem estis corpus Christi et membra. *Si ergo vos estis corpus Christi, et membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium accepistis. Ad id quod estis,*

amen, respondetis, et respondendo subscribitis. Audis enim corpus Christi, et respondes, Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane sit? Nihil hic de nostro afferamus: ipsum Apostolum identitem audiamus; qui quum de isto sacramento loqueretur, ait: Unus panis, unum corpus multi sumus. Intelligite, et gaudete. Unitas, veritas, pietas, caritas. *Unus panis.* Quis est iste panis? *Unum corpus multi.* Recolite, quia panis non sit de uno grano, sed de multis. *Quando exorcizabamini, quasi molebamini: Quando baptizati estis, quasi conspersi estis, quando Spiritus Sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, et accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. Iam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum consperguntur, tamquam illud fiat, quod de fidelibus ait sancta Scriptura:* Erat illis anima una, et cor unum in Deum; *sic et*

de vino, fratres, recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum; sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis et unitatis nostrae in mensa sua consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

Obiic. IX. Haec Augustini verba contra veram Christi praesentiam in Eucharistia citabat Berengarius: *Spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis manducaturi estis; et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.* In psal. XCVIII. n. 9.

Berengario respondebat Lanfrancus: *In his postremis beati Augustini verbis exultas. In his vicisse te, et superiorem esse gloriaris, hic firmamentum tuae defensionis te invenisse gratularis; quomodo, inquis, persuadere contendis quod veram carnem, verumque sanguinem in hoc sacramento sumamus, quum audias quod corpus hoc, quod*

videbant, non essent discipuli comesturi, neque bibituri sanguinem, quem crucifigentes erant effusuri? Calumniosa quidem ista obiectio est. Qui enim superius testatus est quod carnem, quam de Matre Virgine sumsit, et in qua in terris ambulavit, ad manducandum nobis salubriter tribuit, quomodo huic tam praeclarae sententiae aliqua contraria sententia potuit obviare? Absit a sobrio lectore, et Catholico expositore tam perverse sentire de Ecclesiae columna .... Immo revera id dixit, quod Catholica Ecclesia in omnibus membris suis fideliter fatetur, et credit .... Neque enim eo, quo ipsi putabant, modo credimus quod visibile Christi corpus comedamus, aut sanguinem quem fusuri, et oculis suis conspecturi erant persequentes, bibamus. Sed potius id credimus, quod non videmus, ut valeat esse fides, quae non potest esse, si res quae creduntur corporalibus sensibus constiterit subiacere. Unde exponens quod obscure posuit; et si necesse est, *ait*, illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibi-

liter intelligi. *Existimabant namque, quod praeciperet eis Dominus aut bestiali modo, aut humano, corpus comedere quod videbant, aut bibere sanguinem, quem persequentes fusuri erant: hoc est, aut crudum, aut aqua coctum, aut subtractis carbonibus in verubus assum.* De corp. et sang. Domini cap. XVIII.

Obiic. X. Absurdum prorsus est totum Christi corpus et sanguinem in modica panis et vini dimensione contineri. Ergo falsum est quod de Eucharistia Catholici docent.

Respondet S. Thomas: *Facta conversione panis in corpus Christi, vel vini in sanguinem, accidentia utriusque manent. Ex quo patet quod dimensiones panis vel vini non convertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam; et sic substantia corporis Christi, vel sanguinis est sub hoc Sacramento ex vi Sacramenti, non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi. Unde patet quod corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiae, et non per modum quantitatis.*

Propria autem totalitas substantiae continetur indifferenter in parva, vel magna quantitate; sicut tota natura aëris in magno, vel parvo aëre, et tota natura hominis in magno, vel parvo homine. Unde et tota substantia corporis, et sanguinis Christi continetur in hoc Sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis, et vini. par. III. q. LXXVI. a. I. ad 3.

Obiic. XI. Accidentia sine subiecto esse non possunt. Ergo absurda est Catholicorum transubstantiatio.

Resp. Quamquam secundum naturae leges accidentia sine consueto subiecto esse non possunt; fieri tamen id potest infinita Dei virtute. Nimirum Deus ipse, qui hanc naturae legem inter ceteras statuit, ut accidentia subiecto inhaereant, illud efficere potest, ut nempe sine consueto subiecto accidentia existant. Deus enim est, ut ait Augustinus, *Creator, et conditor omnium naturarum ..... a quo est omnis modus, numerus, ordo naturae.* Cont. Faust. Lib. XXVI. cap. III. Ideoque

sicuti accidentibus hanc dedit naturam, ut non existant, nisi subiecto inhaerentia, ita potest accidentia conservare etiam consueto subiecto sublato. Ad rem S. Thomas: *Accidentia in hoc Sacramento manent sine subiecto: quod quidem virtute divina fieri potest. Quum enim effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda; Deus, qui est prima causa substantiae, et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine.* p. III. q. LXXVII. a. I. c.

Obiic. XII. Non potest idem corpus in pluribus locis esse. Atqui, secundum Catholicam doctrinam, in plurimis locis est Christi corpus. Ergo falsa est doctrina, quam Catholici de Eucharistia tradunt.

Resp. Haud fieri quidem potest, ut idem

corpus per modum qnantitatis, seu dimensionis in pluribus locis inveniatur, siquidem corporis dimensio loci dimensione circumscribitur, vel definitur: at fieri potes, ut idem corpus in plurimis locis per modum substantiae repeririatur; sicut enim tota cuiuslibet corporis substantia in magna aeque ac in parva quantitate esse potest, sic etiam in uno vel multis locis. Apposite S. Thomas: *Sicut iam dictum est corpus Christi non est in hoc Sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivae, sed magis secundum modum substantiae. Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensivae, in quantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensivam. Unde relinquitur, quod corpus Christi non est in hoc Sacramento sicut in loco, sed per modum substantiae.* p. III. q. LXXVI. a. V. c.

*

SCHOLION.

Quisquis ea, quae in superiori propositione demonstranda ex Scripturarum, Patrumque sententiis deprompsimus, animadverterit; facile intelliget sub alterutra specie, panis scilicet, vel vini, et sub unaquaque alterutrius speciei parte, separatione facta, totum Christum vere contineri. Nimirum catholicam hanc doctrinam his verbis tradit Synodus Tridentina: *Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis, et vini specie, una cum ipsius anima, et Divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se*

copulantur. Divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore, et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri. Totus enim, et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub eius partibus existit. Sess. XIII. Cap. III. Atque eamdem doctrinam sic contra haereticos definit: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.* Sess. XIII. can. III. Quod vero ad singulas utriusque speciei partes, etiam S. Thomam audire iuvabit, qui sic loquitur: *Corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiae, idest per modum, quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, idest non per modum illum, quo quantitas dimensiva alicuius corporis est sub quantitate dimensiva loci. Manifestum est autem quod na-*

tura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur: sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis. p. III. q. LXXVI. a. 3. c.

PROPOSITIO II.

Non in solo Eucharistiae usu, sed etiam ante, vel post eius usum, consecratione iam peracta, sub utraque specie totus Christus permanet.

Prob. I. Ex Scripturis. Christus enim antequam Apostoli Eucharistiam sumerent, verba illa, *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus* pronuntiavit; quibus quidem verbis facta est mira illa in Christi corpus et sanguinem conversio, ut iam demonstravimus. Ergo etiam ante usum totum Christum Eucharistia continet. Porro eiusdem veritatis argumentum praebent Lucas, et Paulus, qui Christum sic de calice locutum fuisse referunt: *Hic calix novum testa-*

mentum est in meo sanguine. Ergo prius quam calicem ori admoverent Apostoli, Christi sanguis iam erat in calice.

Prob. II. Ex Traditione, quae nos certiores facit a primis usque saeculis Eucharistiae servandae morem viguisse; siquidem illam fideles domi custodiebant, Episcopi per Diaconos ad absentes mittebant, ac demum in sacrario reponebant, ut infirmis pro viatico afferri posset. Eiusmodi moris testes praecipui sunt Patres, et Concilia, quae subiungimus. Scilicet Iustinus, qui sic scribit: *Postquam vero is, qui praeest, preces absolvit, et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur Diaconi, panem, et vinum, et aquam, in quibus gratiae actae sunt* (quae nempe consecratione in Christi corpus et sanguinem iam conversa fuerunt, ut ex contextu patet), *unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt.* Apolog. ad Antonin. n. 65. Qua narratione Christum in Eucharistia permanere ostendit, dum per Diaconos absentibus perfertur. Tertullianus, ubi quibusdam fide-

libus ut Eucharistiam domi servent, praecipit his verbis: *Accepto corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii.* De Orat. Cap. XIV. Et alibi: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes.* Ad uxorem Lib. II. Cap. V. Irenaeus etiam consuetudinem memorat, quae veritatem hanc comprobat; scribit enim per presbyteros, seu Episcopos (sic enim tunc temporis appellabantur) Eucharistiam presbyteris, seu aliis Episcopis transmitti solitam: *Verum illi ipsi*, inquit, *qui te praecesserunt presbyteri ..... Ecclesiarum presbyteris ..... Eucharistiam transmiserunt.* Epist. ad Victorem. Pap. Tom. I. Operum. pag. 341. Edit. Maurin. Quam consuetudinem confirmat Concilii Laodiceni prohibitio: *Ne sancta instar benedictionum, in festo Paschae, in alias parochias transmittantur*, Can. XIV. Cyprianus, qui inter cetera hoc factum narrat: *Quum quaedam arcam suam, in qua Sanctum Domini fuit, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente de-*

territa est. Serm. de Lapsis. Dionysius Alexandrinus, qui in Epist. ad Fabium refert Serapionem quemdam iamiam moriturum ad presbyterum misisse puerum, ut Eucharistiam sibi afferret; presbyterum vero, quum aegrotaret, ipsi puero Eucharistiam tradidisse: *Exiguam Eucharistiae partem puero tradidit iubens, ut in aqua intinctam seni in os instillaret. Dedit igitur puer buccellam afferens. . . . . mox puer buccellam intinxit, et in os senis infudit.* Vide Euseb. Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. XLIV. Nec non Concilium Nicaenum I. siquidem Canone XIII. iubet Eucharistiam morti proximis non denegari: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo, et maxime necessario viatico minime privetur.* Item Concilium Chartaginense IV: *Is qui poenitentiam in infirmitate petit . . . . . si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori eius Eucharistia.* Can.LXXVI. *Poenitentes, qui in infirmitate sunt, viaticum*

accipiant. Can. LXXVII. *Poenitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.* Can. LXXVIII (1).

Probatur III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim decrevit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus, et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.* Sess. XIII. Can. IV.

(1) Allata testimonia tam evidentia sunt, ut Calvinus ipse dicere non dubitaverit: *Qui sic faciunt*, scilicet Eucharistiam reservant, *habent, fateor, veteris Ecclesiae exemplum.* Instit. Lib. IV. Cap. XVIII. §. 39.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. Eucharistiam non fieri, nisi usu probat Christus ipse, qui prius panem dedit discipulis, eosque manducare iussit; deinde panem corpus suum esse pronuntiavit. Sic enim refert Matthaeus: *Accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite; hoc est corpus meum.* Cap. XXVI. v. 26.

Resp. In Matthaei narratione ὑστερολογίαν, *ordinis* scilicet *verborum immutationem* esse facile animadvertet, qui alteram Marci narrationem, ubi evidentissime patet eiusmodi immutatio, legat. Scribit namque Marcus: *Et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, et ait illis: hic est sanguis meus novi testamenti.* XIV. 23. 24. Nimirum si verba eo ordine, quo posita sunt relinquas, sibi non cohaeret Marcus: quid namque ostenderent illa Christi verba *hic est sanguis meus*, quum iam bibissent Apostoli omnes? Si enim totum id quod illis prae-

buerat Christus, biberant, tunc nihil erat quod ostendens diceret Christus: *hic est sanguis meus.* Si vero pars aliqua remanserat, de qua illud Christus affirmaret, et tunc confirmaretur quod demonstravimus, sub specie nempe vini non minus, quam sub specie panis, etiam extra usum, verum Christi corpus, et sanguinem contineri. Igitur Marci verba eo ordine reponenda sunt, quem evidentissime requirit narrationis ipsius series. Ordo autem certe hic est, ut verba illa: *hic est sanguis meus novi testamenti*, prius pronuntiaverit Christus, calicem deinde ad bibendum porrexerit; siquidem verba illa rationem continebant, quae ad bibendum Apostolos alliceret, ut apertius indicat Matthaeus, causalem particulam addens: *hic est enim sanguis meus.* Quid quod Lucas, et Paulus apertissime affirmant verba illa a Christo de calice pronuntiata fuisse: *hic calix novum testamentum est in meo sanguine*? Ergo in calice iam erat sanguis, antequam Apostoli biberent. Quemadmodum ergo Marcus, ita etiam Matthaeus verborum ordinem immu-

tavit; qui, quum restituatur prout narrationis series necessario postulat, omnino patet, verba illa, *hoc est corpus meum*, prius a Christo prolata fuisse, quam corpus ipsum manducandum Apostolis praeberet.

Obiic. II. Clemens Romanus Eucharistiae aliquid servari in crastinum prohibet his verbis: *Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore, ac tremore clericorum diligentia consumantur.* Epist. II.

Resp. At Clemens, vel quisquis est Epistolae illius Auctor, Eucharistiam reservandam esse aperte indicat verbis, quae paulo ante in eadem Epistola leguntur: *Tribus gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, presbytero, diacono, et ministro, qui cum timore, et tremore clericorum reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne quum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur iniuria.* Ut igitur sibimet non contradicat idem

Auctor, dicendum ad morem Eucharistiae servandae pro infirmis, vel aliis occasionibus spectasse illum prioribus verbis, quibus presbytero, et ministris in corpore Domini custodiendo diligentiam inculcat; posterioribus vero, praeter id, quod ob dictas causas occurrere posset, nihil Eucharistiae in quotidiano sacrificio relinquendum imperasse. Praeterea animadvertendum Clementem ipsum alibi Diaconis praescribere, ut id quod, peracta communione, remanet, debito cum honore in pastophorio reponant. Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XIII. alias XX.

Propositio III.

In Eucharistiae Sacramento Christus Unigenitus Dei Filius cultu latriae etiam externo, et publico adorandus est.

Prob. I. Ex superioribus propositionibus. Nam propositionem hanc ex duabus iam demonstratis nulla difficultate inferre licet. Nimirum cultu latriae solus Deus *adorandus*

est iuxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* Matth. IV. 10. Atqui Christus Dei filius, verus Deus, et homo, totus in Eucharistia sub panis et vini speciebus reperitur, ut iam Scriptura, ac Traditione demonstravimus.

Prob. II. ex Patribus. *Adiens igitur*, inquit Hierosolymitanus Cyrillus, *non expansis manuum volis, neque disiunctis digitis accede, sed sinistram veluti thronum subiiciens dexterae, utpote regem suscepturae, et concava manu suscipe corpus Christi, respondens, Amen. . . . . tum vero post communionem corporis Christi accede et ad Sanguinis poculum: non extendens manus, sed pronus, et adorationis, ac venerationis in modum, dicens, Amen.* Catech. myst. V. n. 18. 19. *Adoravit Christum Maria*, ait Ambrosius, *adoraverunt Apostoli, adoraverunt et Angeli. . . . . adorant non solum Divinitatem eius, sed etiam scabellum pedum eius. . . . per scabellum terra intelligitur, per terram Caro Christi, quam hodie quoque in Mysteriis adoramus* L. III.

de Sp. S. Cap. XI. *Desperatis omnibus aliis auxiliis*, de sorore Gorgonia loquitur Nyssenus, *ad mortalium omnium medicum confugit.* . . . . *ad altare cum fide procumbit*, *eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans* etc. Orat. XI. *Sed cave* (sic eos, qui ad altare accedunt, hortatur Chrysostomus), *ne Herodi similis sis, et dicas* ut veniens adorem eum, *veniensque occidere tentes.* . . . . . *Timeamus itaque, ne speciem supplicum, et adoratorum habeamus, opere autem contraria exhibeamus.* Hom. VII. in Matth. ***Anceps factus sum***, dicit Augustinus, ***timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit coelum, et terram: rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus dicit:*** Adorate scabellum pedum eius. ***Quaero, quod sit scabellum pedum eius; et dicit Scriptura:*** Terra scabellum pedum meorum. ***Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de ter-***

ra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. In psal. XCVIII. n. 9. (1)

Prob. III. Catholicae Ecclesiae definitione. Sic enim statuit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit in Sancto Eucharistiae Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate*

(1) Si Christus Unigenitus Dei Filius in Eucharistia cultu, qui Deo debetur, adorandus est, nulla certe ratio fiugi potest, ob quam eiusmodi cultus interior tantum, ac privatus esse debeat, et non exterior quoque, ac publicus, uti blaterarunt quidam haeretici. Adnotandum est etiam, adlata SS. Patrum testimonia ad praecedentem propositionem magis magisque confirmandam mirifice prodesse.

venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem, et universalem Ecclesiae sanctae ritum, et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras; anathema sit. Sess. XIII. can. VI.

PROPOSITIO IV.

Eucharistiae conficiendae ministri sunt soli Sacerdotes.

Prob. I. Scriptura. Solis enim Apostolis Eucharistiae conficiendae potestatem, ac praeceptum tradidit Christus dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nullus enim praeter Apostolos cum Christo discubuit in ultima coena, ut Evangelium contestatur. Atqui Apostolis succedunt in consecrandi potestate Sacerdotes, ut quum *de Ordine* sermo erit, demonstrabimus. Eucharistiae ergo conficiendae ministri sunt soli Sacerdotes.

Prob. II. Ex Patribus. Iustinus enim Epi-

scopos, presbyterosque, quos προεστωτας, *praesidentes* more tunc temporis usitato appellat, a Diaconis, et Diaconos a reliqua fidelium multitudine aperte distinguit; atque testatur Eucharistiam non confici, nisi per praesidentium manus: *Postquam vero is qui praeest, preces absolvit*, etc. idest Eucharistiam confecit, ευχαριστησαντος δε του προεστωτος κ. τ. λ......... *Atque, ut iam diximus, ubi desiimus precari, panis affertur, et vinum, et aqua; et qui praeest preces, et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat* Amen. Και ὁ προεστως ευχας ὁμοιως, και ευχαριϛιας, ὁσῃ δυναμις αυτῳ, αναπεμπει. Apolog. ad Antonin. num. 65. et 67. Iustino concinit Tertullianus: *Eucharistiae sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus*. De cor. milit. Cap. III. Idem Tertullianus haereticis inter cetera crimina illud exprobrat, quod aliis, quam Sacerdotibus sacra munera obeundi facultatem prae-

berent. *Ordinationes eorum*, ait, *temerariae, leves, inconstantes..... Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt.* De praescrip. Cap. XLI. Item Irenaeus de Marco haeretico narrat, quod Eucharistiam confici a mulieribus permitteret: *Rursus mulieribus dans calices mixtos, ipsas Eucharistiam conficere iubet*, ευχαριστειν εγκελευεται. Adv. haeres. lib. I. Cap. XIII. n. 2. edit. MM. Idem observare licet in Epiphanio Haeres. XLIX. et LXXIX. Epiphanius ipse se sacerdotalem ordinem Diacono contulisse scribit, quia in Sancti Hieronymi monasterio fratres non haberent, *qui sibi Domini Sacramenta conficerent*; ac praecipue de Eucharistia loquitur, siquidem paullo ante ait: *Quum enim vidissem, quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, et sancti presbyteri Hieronymus, et Vincentius propter verecundiam, et humilitatem nollent debita nomini suo exercere Sa-*

crificia, *et laborare in hac parte ministerii, quae Christianorum praecipua salus est* etc. Epist. ad Ioan. Episc. Hieros. Tom. II. pag. 512. edit. Petav. Confirmat Hieronymus sic scribens: *Hilarius*, *quum diaconus de Ecclesia recesserit*, *solusque*, *ut putat*, *turba sit Mundi*, *neque Eucharistiam conficere potest*, *Episcopos*, *et presbyteros non habens*. Dial. advers. Lucifer. n. 21. Et alibi: *Quid patitur*. . . , *ut supra eos se tumidus Diaconus efferat*, *ad quorum preces Christi corpus*, *sanguisque conficitur?* scilicet supra Sacerdotes. Epist. ad Evangelum. n. 1.

Probatur III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Nam sic de Diaconis loquitur Concilium Nicaenum I: *Nec regula*, *nec consuetudo tradidit*, *ut ab his*, *qui potestatem non habent offerendi*, *illi qui offerunt*, *Christi corpus accipiant*. Can. XVIII. Concilium vero Lateranense IV: *Et hoc utique Sacramentum*, scilicet Eucharistiam, *nemo potest conficere*, *nisi Sacerdos*, *qui fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiae*, *quas ipse*

concessit Apostolis, et eorum successoribus Iesus Christus. De Fide Cathòl. Tum Concilium Florentinum: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum* Decret. pro instr. Armen. Denique Tridentinum: *Si quis dixerit illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum; anathema sit.* Sess. XXII. Can. II.

Prob. IV. rat. Theolog. Eucharistiae consecrandae potestatem solius Sacerdotis esse, laicis omnino exclusis, evidenter comprobant plura Ecclesiasticae historiae monumenta. Praecipua attingemus. Primum est communio domestica; laici enim antiquitus Eucharistiam, a Sacerdotibus in Ecclesia acceptam, domum ferebant, ut eam domi vel quotidie sumere possent, atque Anachoretae longo etiam temporis spatio Eucharistiam a Sacerdote receptam apud se retinebant. At si laici consecrandi facultate potirentur; frustra a Sacerdotibus petiissent, quod ipsimet do-

mi conficere poterant. Alterum sunt Acta Martyrum, in quibus narratur Sacerdotes in capitis discrimen sese adduxisse, ut pro Martyribus in carcere detentis sacra facerent, atque ita Eucharistiam ipsis praeberent: quod certe quidem non fecissent, si Martyres ipsi Eucharistiam sibi conficere potuissent. Tertium suppeditant laicorum fidelium itinera longa saepe et incommoda, quibus se non alia ratione committebant, nisi ut pro neophytis, quos ad fidem converterant, presbyteros ad Eucharistiam conficiendam ab Episcopis obtinerent. Vide Theodoret. Hist. Lib. I. Cap. XXIII. et XXIV. Quartum denique est fuga sacerdotibus vetita, quum eorum opera fidelibus necessaria esset, ne Eucharistia privarentur. Vide Aug. Epist. CCXXVIII. ad Honoratum.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Tertullianus laicos omnes sacerdotio fungi existimat. Ait enim: *Nonne et laici Sacerdotes sumus? Scriptum est:*

Regnum quoque nos fecit, et sacerdotes Deo, et Patri suo fecit. *Differentiam inter ordinem, et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus, sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici: unusquisque enim sua fide vivit, nec est personarum acceptio apud Deum. . ... Igitur si habes ius sacerdotis in temetipso ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi necesse sit habere.* Lib. de Exhort. castit. cap. VII.

Resp. Quamquam iure reiici posset obiectum Tertulliani testimonium, eo quod liber ille *de Exhortatione Castitatis* a Tertulliano iam haeretico scriptus fuit (Vide Pamelium in Praefatiuncula Tom. V. Tertulliani Operum); respondere tamen etiam possumus, Tertullianum ibi non de proprio, et stricte sumpto Sacerdotio, sed de spiritali, seu metaphorico, et late sumpto loqui. (Vide quae diximus Tom. V. pag. 74. et 75.)

Obiic. II. S. Laurentius diaconus his ver-

bis Xystum Pontificem suum adlocutus est, ut narrat Ambrosius: *Quo progrederis sine filio pater, quo sacerdos sancte sine diacono properas tuo? Nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas?* De officiis Ministror. Lib. I. cap. XLI. n. 214.

Respondet Binghamus quamvis haereticus: *Vocabulum* consecratio (ait) *hoc loco non significat sacramentalem elementorum consecrationem per preces in altari, quae ab ipso Episcopo perficiebantur, ut e contextu evidenter apparet, ubi Episcopus nunquam sacrificium sine ministro, seu Diacono offerre dicitur: itaque consecratio Diacono commissa alterius generis sit oportet; non poterat enim ille praesente Episcopo, et eodem tempore, quo Episcopus consecrabat, elementa in Altari consecrare; pot-*

erat autem ipsi subvenire, seu, ut illic exprimitur, consummandorum sacramentorum consortium cum eo habere, hoc est calicem cum consueta verborum formula populo exhibere, quod ex more loquendi illis temporibus usitato ministerialis consecratio, vel sacramenti consummatio dicebatur; quandoquidem ad sanctum Eucharistiae sacramentum accedentes sanguine Christi hoc ipso consecrabantur, atque ita consummabantur, seu sacramenti sub utraque specie, pane nimirum sancto ex manibus Episcopi, calice autem ex manibus Diaconi sumpto, perfecte participes reddebantur. Haec manifeste illa consecratio, de qua hic sermo est, et quae ad calicis exhibitionem plebi a Diacono factam tantum spectat, quod usitatum eorum officium erat; adeoque hinc concludi non potest, quemadmodum quidem Hospinianus, et Grotius volunt, quod Diaconis Eucharistiam in altari consecrare licuerit. Origin. Ecclesiast. Lib. II. Cap. XX. §. 8. Vide Card. Bona Rer. Liturg. lib. I. cap. XXV, §. 4.

Propositio V.

Ad Eucharistiam recte sumendam non sufficit sola fides, sed caritas etiam requiritur.

Probatur I. Ex Scripturis. Aperte enim Apostolus eos tantum ad Eucharistiam accedere iubet, qui se ante probaverint, atque tanto sacramento non indignos invenerint: *Probet autem*, inquit, *seipsum homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit; non diiudicans corpus Domini.* I. Corint. XI. 28. 29. Quod vero Apostolus ibi Eucharistia indignum iudicet non illum tantum, qui fide caret, sed etiam qui, quamvis fide ornatus est, caritatem non habeat, satis constat ex contextu. Corinthios namque coarguit, non quod fide, sed quod caritate carentes ad Eucharistiam accedere auderent, siquidem paullo ante ita scribit: *Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est Dominicam coenam*

manducare. Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? ib. 20. et seqq. Ac paullo post: *Itaque fratres mei, quum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet; ut non in iudicium conveniatis.* 33. et seqq. Eandem veritatem innuunt, et studium quo Christus Discipulorum pedes lavit, antequam ipsis Eucharistiam praeberet. Ioan. XIII. 4. et seqq. et eius qui ad convivium sine veste nuptiali accessit, severissima coercitio. Matth. XXII. 13.

Prob. II. ex Patribus. Hi enim uno ore ab iis, qui ad Eucharistiam accessuri sunt, non fidem tantum, sed morum innocentiam vel Baptismo acquisitam, vel Poenitentia recuperatam exigunt. Sic S. Iustinus: *Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam illi, qui veram esse doctrinam nostram credat,*

et lavacro propter remissionem peccatorum, et regenerationem instituto ablutus fuerit, et ita ut Christus tradidit, vivat. Apol. ad Antoninum. num. 66. Sic S. Cyprianus, ubi eos qui nondum culpas debita poenitentia expiaverant, ab Altari arcendos ostendit: *Nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo, et Clero imposita, Eucharistia illis datur, quum scriptum sit:* Qui ederit panem, vel biberit sanguinem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini. Epist. IX. Sic S. Ambrosius: *Ubique mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae coelestis exuberet.* Lib. VI. in Cap. IX. Luc. Sic S. Chrysostomus: *Sicut est magnum, et admirabile* (hoc Sacramentum), *ita si pure accesseris, ad salutem accessisti, sin prava conscientia, ad poenam, et supplicium.* Homil. XLVI. in Cap. VI. Ioan. Sic S. Augustinus: *Quam multi*, ait, *de altari accipiunt, et moriuntur, et accipiendo moriuntur? Unde dicit Aposto-*

lus: iudicium sibi manducat et bibit. *Non enim buccella Dominica venenum fuit Iudae. Et tamen accepit, et quum accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo fratres, panem coelestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Tract. XXVI. in Ioan. n. 11. Sic demum S. Leo: *Mediator Dei, et hominum Christus Iesus hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Epist. LXXXII. alias XCI.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim definivit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum; anathema sit.* Sess. XIII. Can. XI.

Prob. IV. Ratione Theologica. Eucharistiae nan que sacramentum cibi, ac potus rationem

habet, ut Christus ipse verbis illis docuit: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Ioan. VI. 56. 57. Atqui cibum, et potum sumunt non mortui, sed viventes. Ergo Eucharistia ab iis tantum recipi potest, qui spiritali vita, gratia scilicet sanctificante, potiuntur.

Propositio VI.

Praecipuus Eucharistiae fructus non est peccatorum remissio; sed alios effectus producit hoc Sacramentum.

Prob. I. Scripturis. Eucharistiae enim cibi, ac potus vim tribuit Christus, ut ipsemet illa sententia declarat: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* Ioan. VI. 56. Tales ergo effectus in anima Eucharistia producit, quales in corpore cibus ac potus. Atqui cibi potusque est non vitam illi, qui mortuus est, restituere,

sed potius vitam in eo, qui iam vivit, sustentare, alere, fovere, recreare. Igitur praecipuus Eucharistiae fructus non est peccatorum remissio, sed spiritalis vitae alimentum, nutritio, robur, recreatio. Ad effectus iam dictos magis magisque declarandos spectant haec alia Christi verba: ***Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo.*** **Ioan.** VI. 57.

Prob. II. Ex Patribus. Nimirum Tertullianus per Eucharistiam nobis divinam quamdam pinguedinem tribui affirmat: ***Caro corpore, et sanguine Christi vescitur, ut et*** *anima de Deo saginetur.* Lib. de Resur. carn. Cap. VIII. Cyprianus vero invictum robur in fidei agone per Eucharistiam Martyribus addi ostendit: *Quos excitamus, et hortamur ad praelium, non inermes, et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus; et quum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicae sa-*

turitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini, iure communicationis admittimus? Epist. LIV. Cui concinit Augustinus, qui de Beato Laurentio haec scribit: *Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad acerrimam comminationem, mansit usque ad peremtionem; parum est, usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne: diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat, et bene biberat, tanquam illa esca saginatus, et illo calice ebrius, tormenta non sensit.* Tract. XXVII. in Ioan. n. 12. Item Chrysostomus eum qui Eucharistiam preceperit, tanta vi, ac fortitudine roborari

adfirmat, ut daemones illum paveant: *Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedamus terribiles effecti diabolo.* Hom. XLVI. in Ioan. n. 3. Immortalitatem denique carnis nostrae in resurrectione Eucharistiae sacramento tribuunt Patres: *Quemadmodum lignum vitis,* inquit Irenaeus, *depositum in terram, suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei, qui continet omnia, quae deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt, et percipientia verbum Dei, Eucharistia fiunt, quod est corpus, et sanguis Christi: sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta, in ea resurgent in suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris.* Adver. haeres. Lib. V. Cap. II. n. 3. Et Augustinus: *Cum enim cibo, et potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non praestat, nisi iste cibus, et potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales, et incorruptibiles facit, idest societas sanctorum, ubi*

pax erit , et unitas plena , atque perfecta. Tract. XXVI. in Ioan. n. 17.

Prob. III. Ecclesiae Catholicae auctoritate. Sic enim Eucharistiae effectus declarat Eugenius IV: Huius *Sacramenti*, Eucharistiae, *effectus , quem in anima operatur digne sumentis , est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur , et membris eius unitur , consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur ; omnemque effectum , quem materialis cibus , et potus quoad vitam agunt corporalem , sustentando , augendo , reparando , delectando , sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritalem. In quo (ut inquit Urbanus Papa) gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur , confortamur in bono , et ad virtutum , et gratiarum proficimus incrementum.* Decret. pro. instr. Arm. Concilium denique Tridentinum ita definivit: *Si quis dixerit vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum , vel ex ea*

non alios effectus provenire ; anathema sit. Sess. XIII. Can. V.

Diluuntur obiecta.

Obiic. I. Quum calicem Discipulis porrigeret Christus, dixit: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim calix meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Matth. XXVI. 27. 28. Ergo praecipuus Eucharistiae fructus est peccatorum remissio.

Resp. Sanguinem suum non bibendum esse, sed effundendum in remissionem peccatorum adfirmat Christus; idcirco nihil probant allata verba.

Obiic. II. *Qui manducat me*, inquit Christus, *et ipse vivet propter me.* Ioan. VI. 58. Ergo spiritalem vitam non poscit, sed dat Eucharistia.

Resp. Ea ratione vitam animae tribuit Eucharistia, qua ratione corpori cibus, ut eiusdem Christi verbis iam demonstravimus. At cibus vitam corpori tribuit, ipsam conservando,

et corroborando. Eodem igitur modo vitam dat Eucharistia.

Obiic. III. Ecclesia Deum precatur, ut per Eucharistiam nos a peccatis mundet: *Haec nos communio, Domine, (inquit) purget a crimine.* Postcom. in Comm. plur. Mart. Et alibi: *Purificent nos quaesumus, omnipotens, et misericors Deus, Sacramenta, quae sumpsimus, et . . . . . praesta, ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit ablutio scelerum.* Postcom. in Dom. I. Quadrag. Eucharistia ergo peccata remittit.

Resp. I. Eiusmodi Ecclesiae preces ad Eucharistiam, prout sacrificium est, proprie spectant. Sacrificium vero non pro iustis tantum, sed etiam pro peccatoribus offertur, ut postea demonstrabimus. Nec novum est, quod sacramenti nomine Eucharisticum sacrificium appelletur; veterum quippe exemplo usitatum, ut ex illis Augustini verbis colligere licet: *Notum est quo loco Martyres, et quo defunctae sanctimoniales, ad*

altaris sacramenta recitentur. De Sancta Virginitate Cap. XLV.

Resp. II. Eucharistia, etiam prout Sacramentum est, peccata remittit, sed venialia tantum. Ad temporales quoque poenas, pro gravibus culpis iam remissis debitas, solvendas Eucharistiae Sacramentum nos adiuvat.

PROPOSITIO VII.

Eucharistiae perceptio sub utraque specie omnibus omnino fidelibus necessaria non est; atque ideo Ecclesia gravibus rationum momentis adducta laicis, et clericis non conficientibus Eucharistiam sub sola panis specie praebendam iure meritoque statuit.

Prob. prima pars I. Scripturis. Nimirum Christus etiam iis, qui Eucharistiam sub sola panis specie recipiunt, aeternam vitam pollicetur, quum ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,* Ioan. VI. 52. Et paullo post: *Qui manducat hunc pa-*

nem, vivet in aeternum. 59. Praeterea eiusdem criminis reum declarat Apostolus illum, qui vel sub specie panis, vel sub specie vini Eucharistiam indigne sumat: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini.* I. Cor. XI. 27. Nec aliter fieri potest; siquidem tam sub sola panis specie, quam sub sola specie vini totus ac integer Christus adest, ut ex dictis in prima, et secunda propositione constat. Id denique innuit Lucas, ubi haec narrat: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Act. II. 42.

Prob. II. eadem prima pars ex varia Ecclesiae veteris consuetudine. Quamquam enim ordinarius Eucharistiae sub utraque specie recipiendae mos duodecim fere saeculorum spatio in Ecclesia invaluerit; non pauca tamen contrarii moris argumenta nobis praebent eadem illa saecula. Infirmis enim Eucharistiam sub sola specie panis exhibitam testantur praesertim Dionysius Alexandrinus,

Digitized by Google

quem vide supra pag. 81. et Paulinus, qui S. Honoratum Vercellensem Episcopum divinitus admonitum Eucharistiam S. Ambrosio sub unica panis specie attulisse narrat: *Qui descendens*, en eius verba, *obtulit Sancto Domini corpus, quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum.* In vita Ambr. Infantibus contra sub sola vini specie Eucharistiam traditam fuisse, testes habemus prae ceteris S. Cyprianum, qui factum hoc narrat: *Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre praesentibus coepit, et accipientibus ceteris, locus eius advenit, faciem suam parvula instinctu divinae Maiestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare: perstitit tamen Diaconus, et reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit. Tunc sequitur singultus, et vomitus. In corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Lib. de lapsis; et Iobium Monachum Lib. III. de Verbo incarnato Cap. XVIII. apud Photium in Bibliotheca Codice 222. Praeterea Eucharistiam domi sub una specie receptam

probant illa Tertulliani verba : *Non sciet maritus , quid secreto ante omnem cibum gustes ? et si sciverit panem , non illum credit esse , qui dicitur ?* Ad uxorem Lib. II. Cap. V. Quandoque vero Eucharistia etiam publice sub una specie receptam fuisse ex S. Leonis (Serm. IV. in quadrag.) et Gelasii (Dist. II. de Consec rat. cap. XII.) testimoniis colligere licet. Ostendit enim uterque Manichaeos , ut haeresim suam occultarent , Catholicis mixtos Eucharistiam sub sola panis specie accepisse. Nam si omnes omnino Catholici sub utraque specie Eucharistiam sumerent , quomodo Manichaei sub una tantum specie sumentes cum Catholicis confundi potuissent ? Idem colligimus ex Missa *praesanctificatorum* , quae apud Graecos , et apud Latinos pluribus abhinc saeculis usurpatur ; in ea namque sub una tantum panis specie Eucharistia recipitur, ut ex Graecorum Euchologiis , et ex Ordine Romano constat.

Probatur secunda pars. Nimirum gravia rationum momenta, quibus Ecclesia statuit,

ut laici, et clerici non conficientes Eucharistiam sub una specie reciperent, haec fuerunt. Scilicet. 1. Ne qua divini sanguinis gutta, in maxima fidelium multitudine, qui solemnioribus praecipue festis ad altare accedunt, e calice effunderetur. 2. ne infirmis unquam deesset Eucharistia, quae sub vini specie difficilius servari potest. 3. ne ab Eucharistia arcerentur abstemii, qui ne odorem quidem vini ferre possunt. 4. ne Eucharistia abstinerent ii omnes, qui, quum illa eodem cochleari a singulis reciperetur sub specie vini, non iniuria timuissent, ne aliorum morbum contraherent 5. ut frequenter suscipi posset Eucharistia etiam ab iis, qui regiones incolunt, ubi tanta est vini raritas, ut vix pro sacerdotibus reperiatur. 6. demum ut Sacramentariorum illorum haeresis omnino evelleretur, qui aut sub alterutra specie totum Christum esse negabant, aut communionem sub utraque specie a Christo omnibus praeceptam fuisse asserebant. Quum ergo allata rationum momenta minime spernenda sint, et Ecclesia possit ea quae

ad Sacramentorum naturam non pertinent, immutare, ut ex iis, quae in prop. X. de Sacr. in gen. demonstravimus, patet; iure meritoque communionem sub specie vini laicis, et clericis non conficientibus interdixit Ecclesia in Concilio Constantiensi Sess. XIII.

Probatur utraque pars Catholicae Ecclesiae iudicio. Sic enim integrum hoc dogma triplici canone declaravit Tridentinum. *Si quis dixerit*, en primum, *ex Dei praecepto, vel necessitate salutis omnes, et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere*; *anathema sit. Si quis dixerit*, en alterum, *sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret; aut in eo errasse; anathema sit. Si quis negaverit*, en tertium, *totum, et integrum Christum omnium gratiarum fontem, et auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius*

Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit. Sess. XXI. De communione sub utraque specie, et parvulorum.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Eucharistiam sub utraque specie sumi iussit Christus verbis illis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. VI. 54. Non potest ergo Ecclesia eam cuivis interdicere.

Respondet Tridentina Synodus: *Neque ex sermone illo apud Ioannem sexto recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, utcumque iuxta varias sanctorum Patrum, et Doctorum interpretationes intelligatur. Nam qui dixit:* Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *dixit quoque:* Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. *Et qui dixit:* Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem ha-

bet vitam aeternam; *dixit etiam*: Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. *Is denique qui dixit*: Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo, *dixit nihilominus*: Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Sess. XXI. Cap. I.

Obiic. II. Eucharistia eo modo sumenda est, quo a Christo instituta fuit. Atqui quum eam Christus instituerct his vocibus usus est: *Accipite, et comedite...... bibite ex hoc omnes*. Matth. XXVI. 26. 27.

Resp. Eiusmodi Christi voces ad Eucharistiae non communionem tantum, sed et confectionem, pertinent; siquidem Apostolis, quos tunc Sacerdotes Christus ipse instituebat, dictae sunt. Ex illis ergo nihil aliud concludere licet, nisi Sacerdotum esse Eucharistiam sub utraque specie accipere. Apposite Tridentinum: *Etsi Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc Sacramentum in panis, et vini speciebus instituit, et Apostolis tradidit; non tamen illa institutio, et traditio eo tendunt, ut omnes*

Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. ibid.

PROPOSITIO VIII.

Parvulis, qui nondum ratione utuntur, necessaria non est Eucharistiae communio.

Prob. I. Parvulis per Baptismi gratiam remittitur omnino et culpa, et poena, ut in prop. V. de Sacram. Baptismi demonstravimus. Ergo vitam aeternam sine Eucharistiae communione consequi possunt.

Prob. II. Ecclesia, quae duodecim fere saeculorum spatio Eucharistiam parvulis praebuerat, veterem hanc consuetudinem immutavit, quin aliquis vel minimum reclamaret. Atqui si parvulis Eucharistiae communio necessaria esset, nec Ecclesia pristinum morem mutasset; nec fideles mutationem aequo animo tulissent. Ergo parvulis Eucharistiae communio necessaria non est.

Prob. III. Tridentinae Synodi definitione: *Si quis dixerit*, inquit, *parvulis, ante-*

quam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit. Sess XXI. de Communione sub. utr. spec. et parv. Can. IV.

OBIECTA DILUUNTUR.

Obiic. I. Eucharistiae accipiendae praeceptum habemus in illa Christi sententia: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem; non habebitis vitam in vobis.* Ioan. VI. 54. Ergo eam recipere debent etiam parvuli.

Resp. Hoc Christi praeceptum adultos proprie spectat, qui profecto, si Eucharistiam percipere negligant, vel contemnant, graviter peccant. Cum adultis enim colloquebatur Christus legem illam ferens, eademque adultos tantum devinctos volebat, secundum Catholicae Ecclesiae interpretationem.

Instabis. Illa Christi sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* Ioan. III. 5. aperte ostendit neminem sine Bapti-

smo aeternam vitam consequi posse. Ergo etiam altera eiusdem Christi sententia: *Nisi manducaveritis* etc. neminem sine Eucharistia ad aeternam vitam pervenire posse ostendit.

Resp. Non eadem ratione intelligendam esse utramque sententiam duo argumenta comprobant. Nam primo inter Baptismum, et Eucharistiam non parum discriminis interest; quum sine Baptismo nec culpa deleri possit, nec gratia adquiri, sine Eucharistia vero homo baptizatus, et a culpa purus, et gratia ornatus esse possit. Deinde Catholica Ecclesia, cuius est verbum Dei interpretari, ita utramque sententiam declaravit, ut Baptismus sit omnibus *necessitate medii* necessarius; Eucharistia autem solis adultis necessaria sit *necessitate praecepti.*

Scholion

Eucharistiae ab adultis recipiendae praeceptum habemus tum Divinum, tum Ecclesiasticum. Divinum complectuntur illa Christi verba: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. VI. 54. Ecclesiasticum vero declarat Concilium Lateranense IV. his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter .... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum; nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura.* Cap. XXI. Confirmat denique Tridentina Synodus hoc Canone: *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum*

ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; anathema sit. Sess. XIII. can. IX.

SECTIO II.

Catholicae Ecclesiae doctrina circa Eucharistiam, prout Sacrificii rationem habet, demonstratur.

Quum Catholicae Ecclesiae dogmata, quae ad Eucharistiam, prout Sacramentum est, pertinent, exposita ac demonstrata sint: ea quae ad Eucharistiam ipsam, ut Sacrificium, spectant, demonstranda aggredimur. Sed pauca de sacrificii definitione, ac divisione praemittenda sunt.

§. I. Sacrificium ita definit Bellarminus: *Sacrificium est oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem humanae infirmitatis, et professionem divinae maiestatis a legitimo ministro res aliqua sensibilis, et permanens*

ritu mystico consecratur, et transmutatur. De Missa Lib. I. Cap. II. Definitionem hanc, quam paullo longiorem sese effinxisse dicit Bellarminus ipse, ut omnes sacrificii stricte sumpti conditiones complecteretur, pro more percurramus. Definitionis genus verbum illud *Oblatio* constituit: in eo enim sacrificium cum primitiis, decimis, ac prorsus cum quovis bono opere convenit. Reliqua vero differentiae specificae locum tenent. Dicitur itaque 1. *Oblatio externa*; talem namque exigit ipsa hominis natura, et publica humanae infirmitatis, ac divinae excellentiae professio, quam nullus unquam hominum a sacrificio separandam esse censuit. 2. *Soli Deo facta*; nulli enim, praeter Deum, sacrificium facere licet: *Quis vero*, ad rem S. Augustinus, *sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* De Civ. Dei. Lib. X. Cap. IV. 3. *Qua ad agnitionem humanae infirmitatis, et professionem divinae maiestatis*; quae voces proprium sacrificii finem indicant. 4. *A legitimo ministro*; ubique enim gentium per certos ac

publicos homines sacrificia fiunt. 5. *Res aliqua sensibilis, et permanens*: aliter oblatio nec externa esset, nec ad sacrificium stricte sumptum accommodata. 6. *Ritu mystico consecratur, et transmutatur.* Res enim Deo offerenda sacra esse debet, ideoque ab usu profano per consecrationem separanda; praeterea vel plane destruenda, vel ita mutanda, ut id amplius non sit, quod ante erat. Sic enim supremum Dei dominium significatur, et honoratur.

§. II. Sacrificium ratione materiae dividitur in *Victimas*, *Immolationes*, et *Libamina*. *Victimae*, seu hostiae dicuntur animalia, cuiusmodi erant in veteri Testamento oves, caprae, boves, columbae, passeres, turtures; praeter quae nulla alia animalia immolari poterant. *Immolationes* a *molendo* dictae, farina, pane, sale, thure fiebant. *Libamina* denique a *libando* sic appellata, fiebant vino, et aqua. Ratione formae vero, et finis in *Holocaustum*, *Sacrificium pro peccato*, et *Hostiam pacificam. Dicebatur* Holocaustum, sic S.

Thomas, *quasi* totum incensum. *Huiusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam maiestatis ipsius, et amorem bonitatis eius. . . . et ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem, et omnia quae ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta, et ei esse offerenda. Aliud autem erat* sacrificium pro peccato, *quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati. . . . quod dividebatur in duas partes: nam una pars eius comburebatur; altera vero cedebat in usum sacerdotum ad significandum quod expiatio peccatorum fit a Deo per ministerium sacerdotum; nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis, tunc enim totum comburebatur. Non enim debebant in usum sacerdotum venire ea, quae pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret; et quia hoc non esset satisfactio pro peccato. Si enim cederet in usum eorum, pro quorum*

peccatis offerebatur, idem esse videretur, ac si non offerretur. Tertium vero sacrificium vocabatur hostia pacifica, *quae offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro salute, et prosperitate offerentium, ex debito beneficii vel accipiendi, vel accepti. . . . . Et ista dividebatur in tres partes: nam una pars incendebatur ad honorem Dei; alia pars cedebat in usum sacerdotum; tertia vero pars in usum offerentium, ad significandum quod salus hominis procedit a Deo, dirigentibus ministris Dei, et cooperantibus ipsis hominibus, qui salvantur* 1. 2. q. CII. a III. ad 8.

PROPOSITIO I.

In Missa offertur Deo verum et proprium Sacrificium, quod verbis illis Hoc facite in meam commemorationem *Christus instituit.*

Prob. I. Scripturis. Sic enim vaticinatur Malachias: *Non est mihi voluntas in vo-*

Digitized by Google

bis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Malach. I. 10. 11. Nimirum vaticinium hoc ad Sacrificium pertinet, quod ubique gentium loco victimarum legalium, ut ab ortu Solis usque ad occasum magnificetur nomen Domini, offerendum est. Atqui characteres eiusmodi nulli alii sacrificio, praeterquam Eucharistiae, aptari possunt: Crucis namque sacrificium semel, et uno tantum in loco oblatum est; pietatis vero opera, quibus sacrificii nomen tribuit Scriptura, nec novi tantum Testamenti propria sunt, sed omnibus iustis quorumlibet temporum communia; nec publico, ac sensili sacerdotio, quod legali succedat, indigent; nec oblatio munda appellari possunt a Lutheranis, et Calvinistis, qui etiam iustorum hominum pia opera complecti illam Isaiae sententiam delirant: *Quasi*

pannus menstruatae universae iustitiae nostrae Cap. LXIV. 6. Igitur de Eucharistiae sacrificio loquitur Malachias. Eiusdem Sacrificii nobilis figura fuit panis, et vini oblatio per Melchisedech facta. De Christo enim dicitur a Davide: *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Psal. CIX. 4. atque verba illa psalmi de Christo intelligenda esse declarat Apostolus, qui Christi Sacerdotium, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech esse illo psalmi versiculo comprobat ad Hebr. VII. 17. At nonnisi in Eucharistia sub panis et vini speciebus immolatur Christus. Ergo ad Eucharistiae sacrificium respicit Davidis praedictio. Tandem sacrificii rationem Eucharistiae propriam innuere videtur Apostolus ipse, ubi ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?.... Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod Idolis immolatum*

sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo: nolo autem vos socios fieri daemoniorum; non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum. I. Cor. X. 16. 17. et seqq. Illic enim Mosaicis hostiis, participationem corporis et sanguinis Christi; gentium immolationi, immolationem Christianorum; mensae et calici daemoniorum, mensam et calicem Domini opponit Apostolus. Atqui veram, ac propriam sacrificii rationem habuerunt Mosaicae hostiae, et gentium immolatio. Igitur verum et proprium sacrificium est Eucharistia. Probatur denique ipsa Christi institutione; haec namque verba protulit Christus, Eucharistiam primus conficiens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur*, ut habet Graecus. Christus igitur in ultima coena sub panis, et vini specie sese victimam Patri

obtulit; nam et corpus suum dedit, et sanguinem suum fudit incruenta quidem immolatione, illud ipsum corpus mactans, quod mox cruenta immmolatione in cruce mactandum erat, ac illum ipsum sanguinem incruente effundens, qui mox in passione cruente effundendus erat: atque hoc ipsum Apostolos facere iussit verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Prob. II. Patribus. Hi enim de Missae sacrificio modo unum, modo aliud argumentorum, quae ex Scripturis proposuimus, adhibendo passim loquuntur. Nimirum Malachiae vaticinium explicans S. Iustinus sic ait: *Sacrificia, quae tradidit Iesus Christus fieri, hoc est, quae in Eucharistia panis, et calicis in omni terrarum loco a Christianis fiunt, praecipiens Deus, sibi gratos esse testatur* etc. Dial. cum Tryphone n. 117. In Melchisedechi vero oblatione adumbratum Missae sacrificium perbelle explicat S. Cyprianus: *Quod autem*, inquit, *Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus Sanctus ex persona Pa-*

tris ad Filium dicens: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. *Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem, et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat; idest panem, et vinum, suum scilicet corpus, et sanguinem?* Ep. LXIII. ad Caecilium. Porro in Eucharistia verum, ac proprium sacrificium reliquisse Christum Ecclesiae, ita testatur S. Irenaeus: *Eum, qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens:* Hoc est corpus meum. *Et calicem similiter, qui ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.* Cont. Haereses Lib. IV. Cap. XVII. n. 5. Irenaeo concinit S. Gregorius Nyssenus, qui ait: *Dominus prae-*

occupans impetum Iudaeorum, seipsum victimam offert idem simul sacerdos, et agnus: sed dices mihi, quando hoc accidit? tum, quum suum corpus ad comedendum, et sanguinem ad bibendum familiaribus dedit. Orat. de Resur. Nec minus clare Chrysostomus: *Pro victimarum, et pecorum caede seipsum offerendum praecepit.* Hom. XXIV. in I. ad Cor. Et alibi: *In multis locis offertur, non plures Christi, sed unus ubique Christus, hic et illic plenus existens, unum corpus, non multa corpora.* Hom. XVII. in Ep. ad Hebr. Praeclare demum Augustinus: *In ipso verissimo, et singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias admonemur.* De Spir. et Lit. Cap. XI. n. 18. (1).

(1) Patrum testimonia, quae sacrificii rationem Eucharistiae tribuunt, adeo evidentia sunt, ut Kemnitius ipse dicere non dubitaverit: *Negari non potest veteres quando loquuntur de celebratione coenae Domini, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, oblationis, hostiae, victimae; item ut*

Prob. III. Catholicae Ecclesiae definitione. Sic enim docet Concilium Lateranense IV. *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos, et sacrificium Iesus Christus, cuius corpus, et sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continentur.* Can. I. Synodus autem Tridentina sic statuit: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Sess. XXII. can. I. *Si quis dixerit illis verbis* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum; anathema sit.* Can. II.

---

verbis offerre, sacrificare, immolare. Pars. II. Exam. Conc. Trid. Idem fatetur Lutherus Lib. de Mis. priv. Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. XVIII. Sect. XII.

DILUUNTUR OBIECTA.

Obiic. I. Lutherus illa Christi verba citat: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*; atque ita ratiocinatur. Contraria invicem sunt sacrificii, et testamenti, vel Sacramenti ratio. Per testamentum enim hereditatem suam nobis promittit Deus, ac per Sacramentum corporis sanguinisque sui cibum et potum relinquit; per sacrificium vero aliquid nos Deo offerimus. Si ergo Eucharistia testamentum a Christo appellatur, sacrificii rationem habere nequit.

Resp. Primum vox διαθηκη et *testamentum*, et *instrumentum* seu foedus significat: immo Pseudo-Reformati altero potius sensu ubique fere explicant. Atqui foedus sacrificio sancitur. Itaque διαθηκη perbelle quadrat Sacrificium. Deinde falso, ut aiunt, supposito nititur Lutheri argumentum. In missae enim Sacrificio nihil nostri Deo damus, sed Christus ipse sese hostiam Patri immolat. Quid ergo repugnantiae inter haec intercedit, sci-

licet inter Christi sanguinem, quo aeternorum bonorum heredem Ecclesiam suam Christus scripsit, camdemque Ecclesiam pascit; et sanguinem ipsum, quem in altaris sacrificio Patri suo offert? Nulla certe, sed potius perfectissima coniunctio, quum non duo sint, sed unum idemque; testamentum namque Christi, seu omnia bona, quorum Christus heredem Ecclesiam suam instituit, Eucharistia complectitur. In ea enim habemus et peccatorum remissionem, et gratiam, gratiaeque Auctorem, et aeternae vitae pignus praestantissimum, ipsumque ad gloriam ius, quo Dei visionem, bonorum omnium complementum, consequemur. Idem igitur Christi sanguis plures rationes habet, testamenti scilicet, quia Christus sanguine suo foedus hominem inter ac Deum sancivit, ac in sanguine ipso omnia bona Ecclesiae suae reliquit; Sacramenti, quo corporis ac sanguinis sui sub panis, et vini symbolis participes nos facit; et Sacrificii, quo sanguinem suum quotidie in altari exhibet Patri.

Obiic. II. Lutherus nullam in Evangelio

reperiri Eucharistici sacrificii mentionem ait, siquidem Patri Christum se obtulisse in ultima coena nusquam Evangelistae commemorant.

Resp. Vetus est haec cantilena, quam in doctrinis omnibus revelatis semper nobis insusurrant haeretici, eas nempe in Dei verbo iisdem, quae usurpamus, nominibus non reperiri; ut in Tractatu de Locis animadvertimus. Si enim res ipsas, quas cum Catholica Ecclesia docemus, verbum Dei continet, quid quaeso interest, ipsis illis vocabulis non exprimi? Quod igitur ad praesentem doctrinam adtinet, quum id, quod Christum fecisse narrant Evangelistae, tale sit, ut sacrificii rationem exhibeat; necessaria profecto non erat sacrificii commemoratio. Atqui ita se res habet; nam ex ipsa Eucharistiae institutione, quam referunt Evangelistae, satis superque constat Eucharistiam verum esse sacrificium, ut iam demonstravimus. Quod si rationem investigare licet, ob quam Spiritus Sanctus *Sacrificii* nomine uti noluit, quum Eucharistiam revelaret, ea

potissimum causa id nobis fecisse videtur, ut Altaris sacrificium, quod ad substantiam, illud ipsum Crucis sacrificium esse ostenderet, in quo Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Hebr. X. 14. ne scilicet pro duplici sacrificii nomine duplex opinaremur sacrificium ipsum, quod non est nisi unum idemque, sola offerendi ratione diversum.

Propositio II.

Missae Sacrificium non est nuda Sacrificii in Cruce peracti commemoratio, nec tantum laudis, et gratiarum actionis; sed etiam propitiationis sacrificium, quod non soli sumenti prodest, sed pro vivis quoque, et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, recte offertur.

Prob. I. Scripturis, quae Christum in Eucharistia conficienda ita locutum fuisse narrant: *Hoc est corpus meum, quod pro vo-*

bis tradetur, graece *datur*. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur*, graece, *effunditur*. (Vide pag. 29.) Atqui corporis traditio, sanguinis effusio veram Sacrificii rationem habent, ut illa Christi sententia apud Apostolum significat: *Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. Hebr. X. 5. et alia ipsius Apostoli verba: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Dei in odorem suavitatis*. Ephes. V. 2. Scilicet Eucharistiam conficiens Christus incruenta immolatione corpus suum tradidit, sanguinem suum in remissionem peccatorum pro multis effudit; illud ipsum corpus, illum sanguinem ipsum, quae cruenta immolatione in Cruce sacrificaturus erat. Si ergo Eucharistia verum ac proprium sacrificium est, Crucis sacrificio ita coniunctum, ut si unum idemque, quod ad oblationis substantiam, sola vero offerendi ratione diversum; omnes omnino effectus, quos Crucis sacrificio tribuimus, Eucharistico sacrificio tribuere debemus: ideoque Missa, non minus

quam Christi in Cruce immolatio, vivis ac defunctis prodest, et pro peccatis, poenis, satisfactionibus, aliisque necessitatibus recte offertur. Quod si antiqui foederis Sacrificia mortuos iuvabant, ut ex celebri Machabaeorum libri secundi testimonio colligimus: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* XII. 43; quanto magis Christi sacrificium, cuius illa erant umbra et figura, defunctis proderit?

Prob. II. Patribus. Origenes enim mysticam panum propositionis significationem exponens, sic loquitur: *Si referantur haec* (quae nempe Scriptura Levit. XXIV. 5. et seqq. de panibus propositionis dicit) *ad Mysterii* (scilicet Eucharistiae) *magnitudinem, invenies commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas ad illum panem, qui de coelo descendit, et dat huic Mundo vitam; illum panem propositionis, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius: et si respicias ad illam commemorationem,*

de qua dicit Dominus: Hoc facite in meam commemorationem: *invenies quod ista est commemoratio sola, quae propitium facit Deum hominibus.* Hom. XIII. in Levit. In S. Basilii vero liturgia has preces legimus: *Dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus, et offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, et pro piaculo populi tui.* Porro de Eucharistiae sacrificio sic loquitur S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Postquam confectum est illud spiritale sacrificium, et ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia*, επι της θυσιας εκεινης του ἱλασμου, *obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro aegrotis, et afflictis, et in summa pro iis omnibus, qui egent auxilio, rogamus te nos omnes: et hoc sacrificium tibi offerimus*, και ταυτην προσφερομεν σοι την θυσιαν .... *Deinde pro defunctis sanctis patribus, et Episcopis: denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt;*

maximum esse credentes animarum iuvamen, pro quibus offertur precatio, dum sancta illa, et tremenda victima in altari posita est, της ἁγιας, και φρικωδεστατης προκειμενης θυσιας .... *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis, et illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Catech. Mystag. V. n. 6. 7. De Eucharistia sermonem habens, inquit item Ambrosius: *Umbra in Lege, imago in Evangelio, veritas in coelestibus. Ante agnus offerebatur, et vitulus, nunc Christus offertur; sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat: hic in imagine* (in Eucharistia scilicet sub panis, et vini speciebus, ut ex altero, quod subiicimus, Ambrosii testimonio evidentissime patet), *ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit.* De officiis Lib. I. Cap. XLVIII. Quid vero imaginis nomine intelligat Ambrosius, ne ansam praebeat vox illa haereticis citatam sententiam ad propriam haeresim confirmandam

detorquendi ; ipse Ambrosius aperte explicat his verbis: *Videmus nunc per imaginem bona, et tenemus imaginis bona. Vidimus Principem Sacerdotum* (Christum) *ad nos venientem; vidimus, et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum; sequimur, ut possumus Sacerdotes; ut offeramus pro populo sacrificium; etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* Enarrat. in Psalm. XXXVIII. n. 25. Atque Chrysostomus in Liturgia : *Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona, et sacrificia pro peccatis nostris, et populi ignorantiis.* Augustinus denique illam Christi sententiam: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem* etc. memorans, inquit: *Illis sacrificiis* (foederis scilicet antiqui) *unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum; a cuius*

tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. Quaest. LVII. in Levit. n. 4. Et alibi: *Orationibus vero Sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari; ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis, et sanguinis Christi communione defuncti sunt, quum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Serm. CLXXII. Cap. II. n. 2. edit. MM.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim decrevit Tridentinum: *Si quis dixerit Missae sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse*

sumenti ; *neque pro vivis*, *et defunctis*, *pro peccatis*, *poenis*, *satisfactionibus*, *et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Sess. XXII. De Sacrific. Missae Can. III.

Prob. IV. Ratione Theologica. Sacrificium enim, et Sacerdotium ad peccata expianda instituta sunt. *Omnis namque Pontifex*, ait Apostolus, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis*, *quae sunt ad Deum*, *ut offerat dona*, *et sacrificia pro peccatis*. Hebr. V. 1. Atqui Eucharistiam verum esse sacrificium, atque ad illud peragendum Apostolos, eorumque successores a Christo sacerdotio ornatos fuisse iam demonstravimus. Ergo Missae sacrificium est vere propitiatorium. Quod si Missae sacrificio placatus Deus peccatores sibi inimicissimos reconciliat; quanto magis eisdem reconciliatis cetera gratiae dona, et omnia, quibus egent, auxilia largietur?

Propositio III.

Missae sacrificium Christi sacrificio in Cruce peracto nec derogat, nec blasphemiam irrogat.

Probatur. Nimirum Missae sacrificium non est a Crucis sacrificio diversum, sed unum cum illo idemque, quod ex propositione iam demonstrata constat. Ut autem veritas haec magis magisque perspiciatur, illud animadvertamus oportet, nempe varias in Christo sese sacrificandi rationes Scripturam ipsam agnoscere. Paulus enim Christum in ipso Mundi ingressu se hostiam Patri obtulisse adfirmat scribens : *Ideo ingrediens Mundum dicit : Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio.* Hebr. X. 5. 6. 7. Atque Christum ipsum in Coelum ascendisse dicit, ut semetipsum hostiam perpetuam exhiberet Patri ; *Introivit... in ipsum Coelum, ut ap-*

pareat nunc vultui Dei pro nobis. ibid. IX. 24. *Unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei.* ibid. X. 12. Sicut ergo Crucis sacrificio nec sacrificium, quod Christus in Mundum veniens obtulit, nec sacrificium, quod in dextera Dei sedens offert; ita nec sacrificium, quod offert in altari, derogat, aut blasphemiam irrogat. Iure igitur, meritoque statuit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.* Sess. XXII. de Sacrif. Mis. Can. IV.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Calvinus illa Pauli verba: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem*, (Christus scilicet) *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Heb. VII. 23. 24. Ergo post Christum nullus in terra sacerdos,

ideoque nullum sacrificium agnosci potest, quin Christi sacerdotio, et sacrificio maxima inferatur iniuria.

Resp. Unicum Christi sacerdotium, et sacrificium agnoscit Catholica Ecclesia; non enim alia est in Missae sacrificio victima, non alius sacerdos, nisi Christus ipse; qui tamen per certos homines sacerdotii sui munera, inter quae primum obtinet locum sacrificium, sensili modo exercere pergit. Nonne Christus est unicus pastor? et tamen Petro dixit: *Pasce oves meas.* Ioan. XXI. 17. Et alibi scriptum est: *Pascite qui in vobis est gregem Dei?* I. Petr. V. 2. Nonne Christus est unicus magister, ac doctor? et tamen Apostolis imperavit: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Matth. XXVIII. 19.

Obiic. II. Calvinus alia multa Scripturarum testimonia, quae unam affirmant esse Christi oblationem, qua peccata omnia remissa sunt, et nos sanctificati sumus. Quam quidem oblationis unitatem innumeris Catholicorum Missis destrui, inani verborum varietate ostendere conatur.

*

Resp. Omnia haec argumenta ad rem non faciunt. Nunquam enim Catholica Ecclesia negavit unam esse Christi oblationem in Cruce peractam, qua peccata omnia remittuntur, omnis gratia conceditur; omnis sanctificatio peragitur. Attamen fatetur, nec potest unquam in dubium revocare, Christum ipsum, qui *iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* Rom. VI. 9. unicam hanc oblationem continuare voluisse, ut et illius memoria fidelium mentibus nunquam excideret, et illius fructus uberrimi a fidelibus ipsis iugiter perciperentur, et conspicuum sacrificium conspicua Ecclesia haberet.

Propositio IV.

Impostura non est Missas in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, celebrare.

Prob. Propositionem hanc, quae explicatione potius, quam demonstratione indiget, breviter exponamus, atque ita probemus. Missa scilicet in Catholica Ecclesia nunquam Sanctis ipsis offertur, sed Deo, cui gratias agimus pro gloria Sanctis concessa, et a quo, interposita Sanctorum intercessione, auxilia imploramus, ut et eorum exempla imitemur et gloriam assequamur. *Nec tamen nos*, apposite Augustinus, *eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, et sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus..... Quis autem audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque*

constructum, *dicere in precibus*: *offero tibi sacrificium*, *Petre*, *vel Paule*, *vel Cypriane*; *quum apud eorum Memorias offeratur Deo*, *qui eos et homines*, *et Martyres fecit*, *et sanctis suis Angelis coelesti honore sociavit*, *ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus*, *et nos ad imitationem talium coronarum*, *atque palmarum*, *eodem invocato in auxilium*, *ex illorum memoriae renovatione adhortemur*? De Civ. Dei Lib. VIII. Cap. XXVII n. 1. Et alibi: *Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat*, *et ad excitandam imitationem*, *et ut meritis eorum consocietur*, *atque orationibus adiuvetur*; *ita tamen*, *ut nulli Martyrum*, *sed ipsi Deo Martyrum*, *quamvis in memoriis Martyrum*, *constituamus altaria*. Contr. Faust. Lib. XX. Cap. XXI.

Quod vero mos Sanctos nominandi in Missae liturgia antiquissimus fuerit, praecipua haec Patrum testimonia comprobant. *Mentionem facimus*, (ita scribit S. Cyrillus

Hieros. de Missae ritu sermonem habens) *etiam eorum, qui ante nos obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus propter illorum orationes, et deprecationes nostras suscipiat preces.* Catech. Myst. V. n. VI. Item Patriarchae, Prophetae, Apostoli, Martyres, et omnes Sancti, Sanctorumque omnium Regina, Dei Genitrix Virgo, in S. Basilii liturgia post consecrationem commemorantur: *Ut assiduas preces*, sicut ibidem legitur, *pro nobis tibi offerant, eoque memoriam illorum celebramus, ut quanto nobis ipsi parum fidimus, memoria, et legatione illorum protecti, per eos audeamus ad te accedere, atque tremendo hoc, et sacro munere defungi.* Idem observare licet in S. Ioannis Chrysostomi liturgia. *Ad ipsam mensam*, inquit demum Augustinus, *non sic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus.* Tract. LXXXIV. in Ioan. n. 1.

Iure igitur, meritoque definivit Tridentinum: *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.* Sess. XXII. de Sacrif. Mis. Can. V.

PROPOSITIO V.

Missae, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, ideoque non abrogandae.

Prob. Eiusmodi Missae veram habent sacrificii rationem, quam Christus Eucharistiae indidit; siquidem in ipsis Christi corpus, et sanguis sub panis, et vini speciebus Deo immolatur. Nec tales Missae privatae dici possunt. *Siquidem illae quoque Missae*, ut ait Tridentina Synodus, *vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omni-*

bus fidelibus , qui ad corpus Christi pertinent , celebrentur. Sess. XXII. de Sacrif. Miss. Cap. VI. Neque novum ac recens est in Ecclesia has Missas celebrari ; quod duo potissimum ostendunt. Primum scilicet Agathensis Synodus an. 511. quae fidelibus praescribit singulis diebus dominicis Sacrificio interesse ; Eucharistiam vero percipere in Nativitate Domini , Paschate , et Pentecoste. Deinde antiquissima consuetudo tres Missas in Domini Nativitate celebrandi , quae S. Gregorii aetate iam vigebat, ut ex ipsius Homilia VIII. in Evang. colligitur ; iis enim plurimi fideles aderant , qui tamen in una tantum Eucharistiam percipiebant. Itaque non immerito Tridentina Synodus decrevit : *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse , ideoque abrogandas ; anathema sit.* Sess. XXII. de Sacrif. Miss. Can. VIII.

Propositio VI.

Caeremoniae, vestes, et externa signa, quibus, in Missis celebrandis, Catholica Ecclesia utitur, sunt officia pietatis, non irritabula impietatis.

Prob. Propositio haec duplici ratione spectari potest; vel scilicet quod ad ius attinet ritus, ac caeremonias instituendi Catholicae Ecclesiae a Christo concessum, atque hoc iam demonstravimus in prop. X. de Sacram. in gen. quam relege; vel quod attinet ad rituum, ac caeremoniarum antiquitatem, et sanctitatem, atque utrumque ex iis, quae dicenda sunt, ubi praedictas caeremonias breviter explicabimus, patebit. Heic igitur satis erit Tridentinae Synodi doctrinam referre: *Quumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia*

vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, et traditione; quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis, et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Sess. XXII. de Sacrif. Miss. Cap. V. Quam quidem doctrinam anathemate corroboravit: *Si quis dixerit caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.* ibid. Can. VII.

Heic etiam, ne institutionum limites transgrediamur, Tridentinae Synodi doctrinam, quae ad Missae Canonem, ad aquam vino miscendam in calice, ad linguam, in qua Missa celebranda est, atque ad alia eiusmodi spectat, referemus. Sic igitur de Missae Canone loquuntur Tridentini Patres: *Et quum sancta sancte administrare conveniat, sitque*

hoc omnium sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica, ut digne, reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum Traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. De aqua autem vino miscenda haec habentur: *Monet deinde Sancta Synodus praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino* (1) *in*

(1) Mixtionis huius antiquum, et constantem usum haec Patrum, et Synodorum testimonia praesertim comprobant. Nimirum sic de Eucharistiae materia scribit S. Iustinus: *Ubi desiimus precari, panis affertur, et vinum, et aqua.* Apol. ad Antonin. n. 67. Item S. Irenaeus: *Dominus...... accipiens panem suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Adv. Haeres Lib. IV. Cap. XXXIII. n.

calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere eius aqua simul cum sanguine exierit. Quod Sacramentum hac mixtione recolitur: et quum aquae in Apo-

2. Et alibi: *Mixtus calix, et factus panis percipit verbum Dei, et fit Eucharistia sanguinis, et corporis Christi.* ibid. Lib. V. Cap. II. n. 3. Nec non S. Cyprianus: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* Epist. LXIII. ad Caecil. Ex Conciliis vero Concilium III. Carthaginiense sic praescribit: *Ut in Sacramento corporis, et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, et vinum aquae mixtum.* Can. XXIV. Concilium vero Trullanum: *Si quis ergo*, ait, *Episcopus, vel Presbyter non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, et aquam vino miscens, sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, ut imperfecte mysterium enuntians, et quae tradita sunt, innovans* Can. XXXII. Similiter Conc. IV. Bracarense Cap. II. Aurelianense IV. Can. IV. Triburiense Can. XIX.

calypsi Beati Ioannis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur. Quod denique Missa lingua tantum vulgari celebranda non sit: *Etsi Missa,* ait idem Concilium, *magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cuiusque Ecclesiae antiquo, et a Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre, et Magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis; mandat Sancta Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis, et festis.* Sess. XXII. de Sacrif. Miss. Cap. IV. VII. VIII. Eamdem doctrinam confirmant subiecti Canones. *Si quis dixerit Cano-*

nem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit. ibid. Can. VI. *Si quis dixerit Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandam esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.* ibid. Can. IX.

CAPUT IV.

Ex Catholica doctrina iam demonstrata Corollaria deducuntur.

Catholica doctrina circa Eucharistiam sub duplici Sacramenti, et Sacrificii ratione, iam proposita, ac demonstrata; ad Corollaria deducenda gradum faciamus. Eiusmodi autem Corollaria duae, quae sequuntur Sectiones, complectuntur.

Sectio I.

Corollaria, quae ex doctrina Catholica de Eucharistiae Sacramento defluunt.

Corollarium I.

Ex prima propositione quisque facile colligit propriam Eucharistiae materiam esse panem, et vinum; formam vero verba illa: *Hoc est corpus meum*; *hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*. Quod quidem praeter Evangelicam historiam, et Patrum sententias, quas in dicta propositione demonstranda retulimus, etiam quae sequuntur Patrum testimonia confirmant. *Calix, et panis*, inquit S. Irenaeus, *percipit verbum Dei, et fit Eucharistia sanguinis, et corporis Christi*. Adv. haeres. Lib. V. Cap. II. n. 3. Chrysostomus vero: *Sacerdos... dicit*: Hoc est corpus meum; *hoc verbum transformat ea, quae proposita sunt.* Homil. I. de proditione Iudae n. 6. Item

Nyssenus: *Panis..... per verbum in corpus transmutatur, sicut dictum est a Verbo:* Hoc est corpus meum. Augustinus denique: *Panis ille, quem videtis in altari sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi.* Serm. CCXXVII.

Quam vero opportuna Sacramenti huius materia sit panis, et vinum, tria praecipue demonstrant. Primum scilicet figurarum, ac praedictionum veteris Testamenti complementum. Alterum cibi, ac potus ratio, eiusdem Sacramenti propria. *Sicut enim*, apposite S. Thomas, *aqua assumitur in Sacramento Baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis, et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc Sacramento ad usum spiritualis manducationis.* p. III. q. LXXIV. a. 1. c. Tertium denique fidelium tamquam membrorum sub Christo capite copulationis significatio, quam exhibet panis, et vini con-

fectio, ut egregie explicat Augustinus, quem vide supra pag. 68. et seqq.

Corollarium II.

Ex altera propositione evincimus, quam recte Ecclesia Eucharistiam ex vetustissimo more reservet. Quas enim ob rationes id efficiat, facile est intelligere. Praecipuas attingamus. Primo scilicet, ut Eucharistia qualibet hora infirmis pro Viatico praesto sit. Secundo, ut Redemptorem nostrum omni tempore invisere possimus, et ad altare, ubi idem ille unigenitus Dei Filius factus homo, qui sedet in Coelo ad dexteram Patris, vere invenitur, accedentes, *adeamus cum fiducia* (ad rem Apostoli Hebr. IV. 16. verba usurpare licet) *thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Tertio demum, ut Christus Iesus in hoc Sacramento fidelium adorationi expositus, atque in processionibus publice circumductus eas animi commotiones excitet, de quibus in corollario, quod sequitur.

Corollarium III.

Illud ex tertia propositione derivat, *Corporis Christi* annuam solemnitatem ab Urbano IV. institutam anno 1264. et a Clemente V. in Synodo Oecumenica Viennensi anno 1311. confirmatam, iniuria vituperari ab haereticis. Nam praeter illa, quae diximus in ipsa propositione demonstranda, solemnitatem hanc omni commendatione dignam ostendunt rationes, quibus adducti praedicti Pontifices eandem instituerunt. Nimirum par, aequumque est, ut quotannis Ecclesia publicum grati animi argumentum erga Christum Sacramenti praestantissimi Auctorem publice exhibeat. Illud enim Christi Ecclesiae omnino licet, quod licuit Synagogae (1),

(1) **Solemnitatis huius, ac generatim consuetudinis Eucharistiam publice circumferendi, aptissimam figuram in veteris Testamenti arca habemus, quae per innumera loca ad Dei populum confirmandum,**

festos nempe dies ad Dei beneficia recolenda instituere (vide Volum. V. pag. 87, et seq.). Deinde, Berengarii haeresi expugnata, ut magis magisque mysterium fidei in fidelium mentibus confirmaretur, iure meritoque solemnitatem hanc, quasi illustrem victoriae triumphum decrevit Ecclesia. Reverentia demum tanto Sacramento debita exigebat, ut fideles iniurias Sacramento ipsi toto anni spatio illatas maiori pietate, et caritate ardentiori quodammodo compensarent.

Corollarium IV.

Ex quarta propositione patet Eucharistiam a diacono confici non posse, sed tantum praeberi. *Diaconi enim ordo est*, ad rem Auctor quaestionum veteris, et novi Testamenti, *accipere a sacerdote, et sic dare ple-*

---

ca exhilarandum, eiusque hostes terrendos, et expugnandos usquequaque circumferebatur.

bi (1). Quaest. CI. Possunt autem quibuslibet, praeter quam presbyteris, Eucharistiam dare. (Vide Can. XVIII. Conc. Nicaeni I. quem supra retulimus pag. 93.). At ne fidelibus quidem, nisi praesente, ac iubente presbytero, necessitateque cogente, communionem ministrare possunt secundum Concilii Chartag. IV. decretum: *Ut diaconus, praesente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.* Can. XXXVIII.

Corollarium V.

Sacrilegii reum esse eum, qui gravis culpae, Poenitentiae Sacramento nondum expiatae, conscius ad Eucharistiam accipiendam accedat, argumenta, quibus propositionem quintam demonstravimus, declarant. Heic autem Tridentinae Synodi doctrinam addere

---

(1) Quod verbum διακονεῖν, a quo διάκονος, ostendit.

iuvabit: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe quo magis sanctitas, et divinitas coelestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim quum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus*: Qui manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit, non diiudicans corpus Domini. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum:* Probet autem seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Con-*

fessoris: quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque praevia Confessione celebraverit, quamprimum (1) *confiteatur.* Sess. XIII Cap. VII. Et alibi: *Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur; statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessarie praemittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunica-*

---

(1) Non sunt hic praetermittendae duae propositiones ab Alexandro VII. damnatae. *Mandatum Tridentini*, en primam, *factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum. Illa particula* quamprimum, en alteram, *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* XXXVIII. XXXIX.

tus existat. ibid. Can. XI. Quaelibet ergo gravis culpa Eucharistiae perceptionem impedit: sed praeter animae munditiam, requiritur etiam corporis ieiunium, quod *naturale* (1) vocant Theologi. De huiusmodi ieiunii necessitate haec in Concilio Costantiensi habemus: *Quidam etiam post coenam, vel alias non ieiunum communicandum esse, pertinaciter asserunt contra laudabilem Ecclesiae consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tamquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur. Hinc est, quod hoc generale Concilium declarat, decernit, et definit, quod, licet Christus post coenam instituerit, et suis discipulis administraverit hoc venerabile sacramentum; tamen hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas laudabilis, et approbata Ecclesiae consuetudo servavit, et ser-*

(1) *Naturale* ieiunium illud appellatur, quod nemo servat, nisi ab omnibus, quae cibi, vel potus rationem habent, omnino abstineat.

vat, *quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a iure, vel Ecclesia concessae.* Sess. XIII. Huius vero consuetudinis tantam esse antiquitatem, ut ex Apostolica traditione originem ducat, praecipue ostendunt Tertullianus, qui de Eucharistia scribit: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes?* Lib. II. ad uxor. Cap. V. Tum S. Cyprianus, qui Eucharistiam a Christo post coenam institutam fuisse commemorans, inde non sequi adfirmat, sacramentum hoc non esse a ieiunis accipiendum: *Numquid ergo*, ait, *dominicum post coenam celebrare debemus?* Epist. ad Caecilium. Augustinus denique: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia . . . . , quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae insaniae est. . . . . . Liquido apparet quando primum acceperunt Discipuli corpus, et sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universae Eccle-*

siae, quod a ieiunis semper accipitur? Epist. LIX. ad Ianuarium n. 6. 7. 8. Quae quidem Augustini verba ab Apostolica traditione talis ieiunii regulam proficisci ostendunt, secundum ipsius Augustini principium: *Quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Lib. IV. de Bapt. cont. Donat. Cap. XXIV. n. 31. de quo in Tractatu de Locis Theologicis, ubi de Traditione, verba fecimus.

Corollarium VI.

§. I. Sacramenti Eucharistiae effectus, de quibus loquuntur Scripturae, Patres, Concilia, quorum praecipua testimonia in propositione sexta demonstranda attulimus, mirifice colligit Tridentina Synodus. *Sumi autem voluit*, en eius verba, *sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius, qui dixit*: Qui manducat me, et ipse

vivet propter me; *et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei, et caritatis connexione, adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* Sess. XIII. Cap. II.

§. II. Porro uberrimi Eucharistiae fructus sacramenti huius frequentiam maxime commendant. Si enim quotidiano cibo corporalem vitam sustentare, alere, fovere, recreare non omittimus, cur ubi de spirituali vita agitur, quae corporali longe, multumque praestat, alimento tantis utilitatibus referto vel quotidie uti negligimus? Nimirum Eucharistiam, Apostolorum aetate, frequentissime a fidelibus perceptam divina historia testatur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Act. II. 42. Quam

quidem consuetudinem omni commendatione dignam esse Patrum sententiae confirmant. Paucas brevitatis studio percurramus. *Hunc autem panem*, ait S. Cyprianus, *dari nobis quotidie postulamus, nè qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente graviore aliquo delicto, dum abstenti, et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.* Lib. de Orat. Dominica. *Singulis certe diebus*, inquit S. Basilius, *communicare, et participem esse sancti corporis, et sanguinis Christi, bonum, et fructuosum est, quum dixerit ipse*: Qui comederit carnem meam, et biberit sanguinem meum, vitam habet aeternam. *Iam vero quis dubitat, quin frequentius participare, non sit aliud omnino, quam frequenter vivere*? Epist. CCLXXXIX. ad Caesaream Patriciam. *Hoc nempe est quod universe perturbat*, docet S. Ioan. Chrysostomus, *quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore, constare meritum putas,*

summamque arbitraris reverentiam, ac religionem esse, si non saepius coelestem illam adeas mensam. Ignoras quoniam indigne accedere, etiam si semel tantum fiat, te supplicio tradit: digne vero, etiamsi saepe accedas, salutem inde conquiris? Non est audaciae saepius accedere ad Dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiam toto vitae tempore accedat. Hom. V. in Ep. I. ad Timoth. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Ita S. Ambrosius, vel quisquis est auctor Librorum de Sacramentis. Lib. V. Cap. IV. Tridentina denique Synodus sic loquitur. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perce-*

ptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret. Sess. XXII. Cap. VI.

Sectio II.

Catholicae doctrinae circa Eucharistiam, prout Sacrificii rationem habet, corollaria.

Corollariis ex Catholica doctrina de Eucharistiae Sacramento iam deductis; ad corollaria ex doctrina Catholica de Eucharistiae Sacrificio deducenda transimus.

Corollarium I.

§. I. Illud prima propositio nobis intelligendum exhibet, Eucharisticum scilicet sacrificium non esse sacrificii a Christo in Cruce oblati inanem, ac nudam commemorationem; ut Angli Episcopi, eorumque defensor Franciscus Le Courayer confingunt: sed in eo Christum ipsum, qui Sacerdos est in aeternum

secundum ordinem Melchisedech, sub panis, et vini symbolis sese hostiam incruentam Patri suo vere, ac proprie offerri. Veritatem hanc, quam in dicta propositione demonstranda Scripturarum, Patrumque testimoniis satis comprobavimus, etiam ratio Theologica declarat. Religio enim sine sacrificio, quod est primum, ac praecipuum Religionis argumentum, ac bonorum omnium, quae per Religionem consequimur, compendium, nulla ratione stare potest. Quod quidem mirifice comprobant tum veterum Patriarcharum sacrificia ab ipsis mundi incunabulis peracta; tum sacrificia, quae Deus deinceps tam vario, ac multiplici ritu per Moysen praescripsit. Atqui si veram, ac propriam sacrificii rationem non haberet Eucharistia; unica, et verissima religio, quam a Christo didicit Ecclesia, et cuius umbra tantum, et figura fuit veterum Patriarcharum, ac Israelitici populi religio, sacrificio careret: quod omnino absonum, et absurdum est. In Eucharistia ergo proprium, ac verissimum novi foederis sacrificium agno-

scendum (1), quod unicum ipsum crucis sacrificium est, secundum substantiam, sola offerendi ratione diversa. Quod si Scripturae, et Patres Missam sacrificii Crucis commemorationem esse adfirmant, non ideo sacrificii ipsius veritatem a Missa excludunt. Postquam enim Christus panem primo in corporis sui substantiam mutavit: *Hoc est*, dicens, *corpus meum*; deinde vinum in sanguinis sui substantiam verbis illis: *Hic est sanguis meus*: tum demum addidit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

---

(1) Eucharistiae scilicet sacrificium fidelibus exhibet quidquid credere, sperare, amare, agere debeant. In ipso Redemptionis mysteria recoluntur, Christi exempla commemorantur, spes in Deum erigitur, peccatorum dolor excitatur, sanctus amor inflammatur, divinus cibus sumitur, uno verbo Christi membra et capiti suo, et sibi invicem arctissimo vinculo colligantur. Iure ergo meritoque Patres Sacrificium hoc Religionis centrum appellarunt. Ideoque si illud evellas, Religionem ipsam una cum illo prorsus evellis.

Atque ita sacrificium, quod tunc instituebat, Crucis sacrificii uno eodemque tempore et repraesentationem futurum, et continuationem satis aperte ostendit: repraesentatio nempe, separata consecratione fit; continuatio autem, vera et reali Christi, qui incruente immolatur, praesentia. Missa igitur ex ipsa Christi institutione sacrificii Crucis veritatem simul, et imaginem continet. Veritatem quidem, quantum ad sacrificii, et fructus substantiam: imaginem vero, quantum ad mortem, et sanguinis effusionem.

Corollarium II.

Ex duabus autem, quae secundò, et tertio loco sequuntur, propositionibus concludimus Missae sacrificio, quod secundum substantiam nihil a sacrificio Crucis differt, recte a Catholicis omnem vim, ac virtutem tribui, quae Crucis sacrificio tribuitur; ideoque omnia sacrificiorum genera in Altaris aeque, ac Crucis sacrificio nobilissime comprehendi. Holocaustorum enim perfectissimum est Eucha-

ristiae sacrificium; in quo Unigenitus Dei Filius homo factus, se victimam Deo Patri suo acceptissimam sistens, ipsum Patrem suum pro merito honorat. Quodnam vero sacrificium magis propitiatorium hoc sacrificio, ubi offertur Christus ipse, qui *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi?* I. Ioan. II. 2. Quae denique hostia magis pacifica Deo immolari potest, quam Christus? *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. . . . . et veniens evangelizavit pacem vobis*, scilicet gentilibus, *qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope*, nempe Iudaeis, *quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.* Ephes. II. 14. et seqq. Doctrinam hanc perbelle exponit Tridentina Synodus: *Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit; docet sancta Synodus, sacrificium illud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si*

cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reverentia contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, et donum poenitentiae concedens, crimina, et peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro vivorum fidelium peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem, offertur. Sess. XXII. Cap. II.

Corollarium III.

Quarta propositio obterit, ac contundit calumniam haereticorum, qui Catholicam Ecclesiam idololatriae accusant, quod Missas in honorem Sanctorum interdum celebret. Uni enim Deo sacrificat Ecclesia, etiam quum pro Sanctis Missae sacrificium peragit, ut ex iis, quae in citatae propositionis demonstratione diximus, patet. Falso hoc crimine optime se purgat Ecclesia in Tridentino Concilio, ubi paucis rem totam sic explicat: *Et quamvis in honorem, et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.* Sess. XXII. Cap. III.

Digitized by Google

Corollarium IV.

§. I. Ut Catholicae doctrinae veritas, quam in propositione sexta demonstravimus, magis magisque elucescat; eorum, quae in Missae celebratione vel adhibet, vel dicit, vel facit Catholica Ecclesia, reddenda ratio est. Quum vero Institutionum limites ea omnia, quae doctissimi Auctores (1) de huiusmodi argumen-

---

(1) Inter antiquos materiam hanc fuse pertractarunt Gelasius *de Missarum solemniis*; Isidorus *de divinis Officiis*; Alcuinus *de Officiis Ecclesiasticis*; Amalarius. item *de Officiis ecclesiasticis;* Rabanus Maurus; Walfridus Strabo; Solitarius *de gemma animae*; Micrologus; Rupertus Tuitiensis; Hugo de S. Victore; Innocentius III. S. Bonaventura; Guillelmus Durandus; et alii, quos vide apud Bellarminum de Missa lib. II. Cap. XIII. Inter recentiores vero Cardinalis Bona, qui celebratissimum opus *Rerum Liturgicarum* scripsit; Benedictus XIV *de Sacrif. Missae*; Petrus Le Brun Auctor libri, cui titulus: *Explication littérale, historique, et dogmatique des cérémonies de la Messe.*

to scripserunt, ne attingere quidem sinant; pauca veluti speciminis loco in medium afferemus. Illud nimirum in primis animadvertendum, rationes omnes, quibus Ecclesia, adducta fuit, ut in Missae celebratione solemnissimo caeremoniarum apparatu uteretur, ad haec capita revocari posse. Primum scilicet, ne a divino exemplo recederet; Deus enim in antiquo Foedere ritus non paucos, nec leves in sacrificiis ipse praescripsit. Alterum, ut tanti Sacrificii excellentiam in fidelium mente vel ipsis argumentis exterioribus magis ac magis confirmaret. Tertium, ut rerum in tam sancto augustoque opere adhibendarum non modo necessitati, sed etiam maiestati consuleret. Quartum, ut varia Christi mysteria, ac praesertim eius passionem, ac mortem, fidelium veluti sub oculos poneret. Quintum denique, ut pios animi motus, quos et a conficientibus, et ab adstantibus augustissimum Mysterium exigit, excitaret, atque foveret. Deinde notandum omnes eiusmodi caeremonias in quatuor classes dividi posse. Aliae enim ad locum,

tempus, et vasa, ac instrumenta huius sacrificii propria pertinent; aliae ad Sacerdotum vestes; aliae ad verba quae proferuntur; aliae demum ad gestus, qui peraguntur.

§. II. Ac primo quod ad locum, in quo Missa celebranda est, ab ipso Apostolorum aevo mysterium hoc in Ecclesia (1), et super altari celebrari in more positum fuit, ut ex illis Pauli verbis patet: *Convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos.... numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* I. Cor. XI. 18. 22. Et alibi: *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Hebr. XIII. 10. Eundem morem posterioribus saeculis usitatum confirmant Patrum testimonia, quorum verba brevitatis causa praeterimus, loca tantum citamus. Tertul-

(1) Etiam in veteri Testamento in solo foederis Tabernaculo, ac deinde in Templo Sion, non alibi, sacrificium offerre licebat.

lianus de Idololatria Cap. VII. de Pudicitia Cap. IV. de Orat. Cap. XIV. S. Irenaeus Adv. Haeres. Lib. IV. Cap. XX. et XXXIV. Origenes Homil. XI. in Num. Optatus Milevitanus Lib. II. et VI. S. Basilius Lib. de Baptismo Cap. VIII. S. Cyrillus Alex. Lib. advers. Anthropomorphitas Cap. XII. Ecclesiae consecrari solent, sed potest etiam in Ecclesiis non consecratis Eucharistiae Sacrificium celebrari; at super Altari, quod non habeat saltem lapidem ab Episcopo consecratum (1), nunquam potest (2). Ecclesiarum vero, et Altarium consecrationis meminerunt

(1) Ea quae hic, et deinceps commemoramus, ad Ecclesiae Latinae ritus proprie spectant. In multis enim, quae ad caeremonias pertinent, a Latina discrepat Graeca Ecclesia.

(2) Lapis consecratus, qui appellatur etiam *Altare portatile*, oleo ungitur, ut fecisse Iacob legimus Gen. XXVIII. 18. Non modo autem Altare, sed etiam Ecclesia, et vasa sacra oleo sancto unguntur, cuius moris exemplum praecepto suo proposuit Deus, ut narratur Exodi XXX. 25. et seqq.

S. Athanasius Apol. ad Constantium; Eusebius Hist. Eccl. Lib. X. Cap. III. et Lib. IV. de Vita Constantini cap. XLIII. et seqq. Auctor Lib. de Eccles. Hierarchia Cap. IV. S. Gregor. Nyssenus Orat. in Baptismum Christi. Quid vero Ecclesia, Altare lapideum, ac utriusque consecratio significet, explicat S. Thomas his verbis: *Celebrari debet* (Eucharistia) *in domo, per quam significatur Ecclesia, secundum illud I. Tim. III.* Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi. *Extra Ecclesiam enim non est locus veri Sacrificii.* Requiritur Altare lapideum, *tum quia altare significat Christum; dicitur autem I. Cor. X.* Petra autem erat Christus: *tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum sacramenti; lapis enim et solidus est, et facile potest inveniri ubique.........* *Convenienter* vero Ecclesia *consecratur; tum ad repraesentandum sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi; tum etiam ad significandam sanctitatem, quae requiritur in his,*

qui hoc sacramentum suscipere debent. Per Altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apost. Hebr. ult. 15. Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo. *Unde et consecratio Altaris significat sanctitatem Christi, de quo dicitur Luc. I.* 35. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. . . . *Et ideo regulariter non licet celebrare hoc Sacramentum, nisi in domibus consecratis. . . . . Propter necessitatem tamen potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis; sed tamen de consensu Episcopi. . . . . Non tamen sine altari portatili per Episcopum consecrato. . . Quia enim sanctitas Christi fons est totius Ecclesiasticae sanctitatis, ideo in necessitate sufficit ad peragendum hoc sacramentum Altare sanctificatum. . . . Consecratur Altare cum reliquiis Sanctorum, quorum vita* abscondita est cum Christo in Deo Colos. III. Part. III. qu. LXXXIII. art. III. Circa altaris tegumenta praecepit Rhemense quoddam Concilium: *Ut mensa Christi, idest Altare, ubi corpus Dominicum con-*

secratur, ubi sanguis eius hauritur, ubi Sanctorum reliquiae reconduntur, ubi preces et vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur; et mundissimis linteis, et palliis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsae cum Sanctorum reliquiis, et quatuor Evangelia. Apud Ivonem Carnotensem II. P. Decreti cap. CXXXII. In Altari vero ponenda est Crucifixi imago, ut sacerdos, in eam oculos convertens, Christi passionem, ac mortem in memoriam revocet. Ponendi etiam in Altari duo cerei accensi, quorum mysterium ex S. Hieronymo colligimus. *Per totius Orientis Ecclesias*, inquit, *quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum...... ut sub typo luminis corporalis lux ista ostendatur, de qua in Psalterio legimus*: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Epist. adv. Vigilantium. S. Hieronymi explicationi

altera Micrologi addenda est, qui lumine Christum significari animadvertit: *Nunquam*, ait, *Missam absque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, quum sit clara dies, sed potius in typum illius Luminis, cuius Sacramenta ibi conficimus, sine quo et in meridie palpamus, sicut in nocte.* Cap. II.

§. III. Quod vero ad tempus sacrificandi secundum praesentem disciplinam, nonnisi ab aurora usque ad meridiem Missam celebrare licet: *Missae nec ante auroram*, ita Conc. Mediolanense I. *nec post meridiem, nisi ex causa iure permissa celebrentur.* Insuper animadvertendum Alexandri II. decretum: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare; quia Christus semel passus est, et totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, et valde felix est, qui unam digne celebrare potest.* Distinct. I. de Consecratione Can. *Sufficit. In die autem Nativitatis*, notat Angelicus, *plures Missae celebrantur propter triplicem Christi nativitatem. Qua-*

rum una est aeterna , quae quantum ad nos est occulta , et ideo una Missa cantatur in nocte , in cuius introitu dicitur: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. *Alia autem est temporalis , sed spiritualis , quia scilicet Christus oritur* tamquam lucifer in cordibus nostris II. Petri. I. *et propter hoc cantatur Missa in aurora , in cuius introitu dicitur :* Lux fulgebit hodie super nos. *Tertia est Christi nativitas temporalis , et corporalis , secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali , carne indutus , et ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce , in cuius introitu dicitur ;* Puer natus est nobis. *Licet e converso possit dici , quod nativitas aeterna secundum se est in plena luce ; et ob hoc in Evangelio tertiae Missae fit mentio de Nativitate aeterna. Secundum autem nativitatem corporalem ad literam natus est de nocte , in signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostrae ; unde et in Missa nocturna dicitur Evangelium de corporali Christi nativitate.* p. III. q. LXXXIII. ad 2.

§. IV. Porro praeter domum, vel consecratam, vel saltem benedictam, et altare lapideum, item consecratum, requiritur calix (1); et patena aurea, vel argentea auro obducta ab Episcopo etiam consecrata. *Quondam Sacerdotes* (sic in distinct. I. de consecrat. Can. XLV) *non aureis, sed ligneis calicibus utebantur. Zephyrinus autem Papa patenis vitreis Missam celebrari constituit: deinde Urbanus omnia fecit argentea.* Et paullo post: *Calix, et patena, si non ex auro, ex argento omnino fiat; si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De aere, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice praesumat Missam cantare. Quia scilicet*, ut ratiocinatur S. Thomas, *lignum porosum*

(1) Calice usum fuisse in Eucharistia instituenda Christum tres Evangelistae, et Paulus aperte testantur.

est, et sanguis consecratus in eo remaneret: vitrum autem fragile est, et posset fractionis periculum imminere: et eadem ratio est de lapide. Et ideo propter reverentiam sacramenti statutum est, ut ex praedictis materiis calix fiat. ibid. ad 6.

§. V. Praeterca requiruntur corporale, et palla, quae linea sint, et benedicta oportet, nec non purificatorium quoque lineum, ut in citata Distinctione praescribitur: *Consulto omnium statuimus, ut sacrificium Altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare praesumat, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato; sicut corpus Christi in sindone linea, et munda sepultum fuit. Competit etiam*, addit Angelicus, *pannus lineus propter sui munditiam ad significandum conscientiae puritatem, et propter multiplicem laborem, quo talis pannus praeparatur, ad significandam Christi passionem.* ibid. ad 7. Illud demum, antequam ad alia transeamus, cum eodem Angelico notandum, *quod Ecclesia, et Altare, et alia huiusmodi inanimata conse-*

crantur, non quia sint gratiae susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur Divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde in II. Machab. III. 38. 39. *dicitur*: Vere Dei virtus quaedam est in loco: nam ipse qui habet in coelis habitationem, visitator, et adiutor est loci illius. Ibid. ad 3.

§. VI. Praeterea nonnisi peculiaribus sacrisque vestibus (1) in Missa celebranda uti debet Sacerdos. *Religio* enim *divina alterum habitum habet in ministerio Altaris, alterum in usu, vitaque communi.* Ita S. Hieronymus in Cap. XLIV. Ezech. Sunt autem

(1) Sacras vestes, quibus induti sacra facerent antiqui foederis Sacerdotes, designavit Deus Exod. XXVIII. Quarum vestium significationem, si quis intelligere velit, Angelicum consulat. 1. 2. q. CII. a. V. ad 10.

eiusmodi vestes *Amictus*, *Alba*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, *Planeta* seu *Casula*. Earum significationes breviter perstringamus. Amictum, quo Iudaei Christi caput velarunt alapas ei impingentes, ac illudentes; item spineam coronam Christi capiti impositam, vel etiam Christum ipsum caput nostrum, qui Verbum Dei est, humanae naturae amictu velatum, allegorice significat Sacerdotalis Amictus: at moraliter, quatenus capiti imponitur, *galeam salutis*, de qua Paulus Eph. VI. 17. fiduciam nempe in Deum, qui *protector est omnium sperantium in se.* Psal. XVII. 31. quatenus vero collum cingit, vocis custodiam, iuxta illud: *Dixi*: *custodiam vias meas*, *ut non delinquam in lingua mea.* Psal. XXXVIII. 2. *Alba* primo sensu vestem, de qua loquitur Apocalypsis I. 13: *Vidi*.... *similem filio hominis*, Christum scilicet *vestitum podere*, tunica nempe talari; nec non vestem illam, qua Christum indui irrisionis causa iussit Herodes: altero autem sensu Sacerdotalium morum puritatem significat. *Cingulum*, *manipulus*, *stola*, seu *orarium* funes

quibus vinctus fuit Christus per allegoriam significant; item *cingulum* omnis concupiscentiae immunitatem in Christo; *manipulus* Christi, qui fuit *vir dolorum*, acerbissimam passionem; *stola* summam Christi integritatem, atque innocentiam ostendit, de qua Isaias: *Iste formosus in stola sua*. LXIII. 1. Quod autem ad mores attinet, cupiditatum, ac praesertim carnalis concupiscentiae continentiam ostendit *cingulum*. Sicut enim *cingulo*, ne diffluat, et gressum impediat, *alba* lumborum tenus constringitur; ita ne spiritus in carnalia ruat, et ut in divinorum mandatorum via facile gradiatur, continentia efficit. *Manipulus*, qui olim mappula, vel sudarium erat naribus purgandis, ac sudori, lacrymisque detergendis aptum, dolorem ostendit, quo Sacerdotum cor compungi debet in Christi dolorum meditatione; nec non in suarum, populique culparum recordatione ac detestatione; similiter superflui humoris, carnalis nempe delectationis molestiam, et animi vigilantiam in bonorum operum exer-

citatione. *Stolae*, seu *orarii* (1) moralem significationem exponit Conc. Bracarense IV. *Quum antiqua Ecclesiastica noverimus institutione praefixum, ut omnis Sacerdos quum ordinatur, Orario utroque humero ambiatur; scilicet ut qui imperturbatus praecipitur consistere inter prospera, et adversa, virtutum semper ornamento utrobique circumseptus appareat: qua ratione, tempore Sacrificii non assumat, quod se in Sacramento accepisse non dubitatur?... Deo autem sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis, et sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumturus, non aliter*

---

(1) Diversam rationem, qua *stola*, seu *orario* utuntur Sacerdos, et Diaconus, sic explicat S. Thomas: *Diaconus habet stolam in sinistro humero in signum quod applicatur ad ministerium in ipsis sacramentis................. Sed Sacerdoti stola in utroque humero ponitur, ut ostendatur, quod plena potestas dispensandi sacramenta ei datur, non ut ministro alterius: et ideo stola descendit usque ad inferiora.* In IV. Lib. Sentent. q. III. a. III.

accedat, quam Orario utroque humero circumseptus, sicut et tempore Ordinationis suae dignoscitur consecratus: ita ut de uno eodemque Orario cervicem pariter et utrumque humerum premens signum in suo pectore praeferat crucis. Can. IV. Ostendit etiam *orarium* immortalitatis stolam, quae originali peccato amissa per Christi sacrificium recuperatur. ***Planeta*** demum seu *Casula* purpuream vestem, qua Christus indutus fuit a militibus, nec non ipsius Christi caritatem, qua *animam suam posuit pro ovibus suis* allegorica significatione exprimit; morali vero caritatem, ut patet ex verbis, quibus utitur Episcopus, dum ea novos presbyteros vestit: *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam caritas intelligitur.*

§. VII. De his vero, quae in Missae celebratione dicuntur, ita sermocinatur Angelicus: *Quia in hoc Sacramento totum mysterium nostrae salutis comprehenditur, ideo prae ceteris sacramentis cum maiori solemnitate agitur. Et quia scriptum est* Eccl. IV. Custodi pedem tuum ingrediens domum Do-

mini; et Eccl. XVIII. Ante orationem praepara animam tuam, *ideo ante celebrationem huius mysterii primo quidem praemittitur praeparatio quaedam ad digne agenda ea quae sequuntur. Cuius praeparationis prima pars est laus divina, quae fit in introitu secundum illud* Psal. XLIX. Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. *Et sumitur hoc ut pluries de psalmis, vel saltem cum psalmo cantatur, quia ut Dionysius dicit in III. Cap. Ecclesiasticae Hierarch.* Psalmi comprehendunt, per modum laudis, quidquid in Sacra Scriptura continetur. *Secunda pars continet commemorationem praesentis miseriae, dum misericordia petitur, dicendo* Kyrie eleison, *ter quidem pro Persona Patris; ter autem pro Persona Filii, quum dicitur* Christe eleison; *et ter pro Persona Spiritus Sancti, quum subditur* Kyrie eleison, *contra triplicem miseriam ignorantiae, culpae, et poenae, vel ad significandum quod omnes personae sunt in se invicem. Tertia au-*

tem pars commemorat coelestem gloriam, ad quam tendimus post praesentem vitam, et miseriam dicendo Gloria in excelsis Deo; *quod cantatur in festis, in quibus commemoratur coelestis gloria, intermittitur autem in officiis luctuosis, quae ad commemorationem miseriae pertinent. Quarta autem pars continet orationem, quam sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis mysteriis. Secundo autem praemittitur instructio fidelis populi; quia hoc Sacramentum est mysterium fidei, ut supra habitum est* (q. LXXVIII. a. 3.) *quae quidem instructio dispositive quidem fit per doctrinam Prophetarum, et Apostolorum, quae in Ecclesia legitur per Lectores, et Subdiaconos. Post quam lectionem cantatur a Choro Graduale, quod significat profectum vitae, et Alleluia, quod significat spiritualem exultationem, vel Tractus in officiis luctuosis, qui significat spiritualem gemitum, haec enim consequi debent in populo ex praedicta doctrina. Perfecte autem populus instruitur*

per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quae a summis ministris legitur, scilicet a Diaconibus. Et quia Christo credimus tamquam divinae veritati secundum illud Ioannis VIII. Si veritatem dico vobis, quar e non creditis mihi? *lecto Evangelio, Symbolum Fidei cantatur, in quo populus ostendit, se per fidem Christi doctrinae assentiri: cantatur autem hoc Symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo; sicut in festis Christi, et Beatae Virginis, et Apostolorum, qui hanc fidem fundaverunt, et aliis huiusmodi. Sic igitur populo praeparato, et instructo, consequenter acceditur ad celebrationem mysterii, quod quidem et offertur ut sacrificium, et consecratur et sumitur ut Sacramentum. Unde primo peragitur oblatio; secundo consecratio materiae oblatae; tertio eiusdem perceptio. Circa oblationem vero duo aguntur; scilicet laus populi in cantu offertorii, per quod significatur laetitia offerentium; et oratio Sacerdotis, qui petit, ut oblatio populi sit Deo accepta.*

Digitized by Google

Unde et I. Paralip. XXIX. dixit David: Ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec, et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria; *et postea orat dicens*: Domine Deus custodi hanc voluntatem. *Deinde circa consecrationem, quae supernaturali virtute agitur, primo excitatur populus ad devotionem in Praefatione: unde et monetur*, sursum corda habere ad Dominum; *et ideo finita Praefatione, populus devote laudat divinitatem Christi cum Angelis dicens* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *et humanitatem cum pueris dicens* Benedictus qui venit ec. *Deinde Sacerdos secreto commemorat*; *primo quidem pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro universali Ecclesia, et* pro his qui in sublimitate sunt constituti, *I. Tim. II. et specialiter quosdam, qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundo commemorat Sanctos, quorum patrocinia implorat pro praedictis, quum dicit*: Communicantes, et memoriam venerantes etc. *Tertio petitionem concludit*,

quum dicit: Ut haec oblatio sit illis, pro quibus offertur, salutaris (1). *Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua primo petit consecrationis effectum, quum dicit:* Quam oblationem tu Deus ec. *Secundo consecrationem peragit per verba Salvatoris, quum dicit:* Qui pridie ec. *Tertio excusat praesumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, quum dicit:* Unde et memores etc. *Quarto petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, quum dicit:* Supra quae propitio ec. *Quinto petit huius Sacrificii, et Sacramenti effectum; primo quidem quantum ad ipsos sumentes, quum dicit:* Supplices te rogamus; *secundo quantum ad mortuos, qui iam sumere non possunt, quum dicit:* Memento etiam Domine etc. *tertio specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, quum dicit:*

(1) Haec verba non sunt Canonis, sed S. Thomae, ut eruitur ex antiquo MS. Codice Regiae Nostrae Bibliothecae; in quo sic legitur: *Tertio petitionem concludit, ut haec oblatio pro quibus offertur salutaris.*

Nobis quoque peccatoribus ec. *Deinde agitur de perceptione Sacramenti. Et primo praeparatur populus ad percipiendum; primo quidem per orationem communem totius populi, quae est oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari, et etiam privatam, quam specialiter Sacerdos pro populo offert, quum dicit:* Libera nos quaesumus Domine etc. *Secundo praeparatur populus per pacem, quae datur dicendo:* Agnus Dei etc. *Est enim hoc Sacramentum unitatis et pacis, ut supra dictum est* (qu. LXXIII. a. III. et qu. LXXIX. a. I.). *In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio Sacramenti, primo percipiente Sacerdote, et postmodum aliis dante: quia ut Dionysius dicit III. Cap. Eccles. Hierarch.* Ille qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse. *Ultima autem tota Missae celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii*

(*quod significat cantus post communionem*) *et Sacerdote per orationem gratias offerente: sicut et Christus celebrata coena cum discipulis hymnum dixit, ut dicitur Matth. XXVI.* p. III. q. LXXXIII. a. IV. c.

§. VIII. De illis demum, quae in eadem celebratione peraguntur, haec habet laudatus Doctor: *In celebratione huius mysterii quaedam aguntur ad repraesentandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici, et quaedam aguntur pertinentia ad devotionem, et reverentiam huius sacramenti.... Ablutio manuum fit in celebratione Missae propter reverentiam huius sacramenti. Et hoc dupliciter; primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis, unde indecens videtur, quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis; secundo propter significationem, quia ut Dyonisius dicit III. Cap. Eccles. Hierarch. extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis secundum illud Ioan. XIII.*

Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. *Et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc sacramentum: quod etiam significatur per confessionem, quae fit ante introitum Missae......... Pertinet autem* thuris usus *ad duo. Primo quidem ad reverentiam huius sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem. Secundo pertinet ad repraesentandum effectum gratiae, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit secundum illud Genes. XXVII.* Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni; *et a Christo derivatur ad fideles officio ministrorum secundum illud II. Cor. II.* Odorem notitiae suae spargit per nos in omni loco. *Et ideo, undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.....Sacerdos in celebratione Missae utitur crucesignatione ad exprimendam passionem Christi, quae ad crucem est terminata.* ibid. a V. 1. et ad 1. et 2. Quae vero varia crucis signa, corumque

numerum explicans addit, brevitatis causa omittimus. Sic autem praedictam explicationem concludit: *Potest autem brevius dici, quod consecratio huius sacramenti, et acceptio huius sacrificii, et fructus ipsius procedit ex virtute crucis Christi, et ideo ubicumque fit mentio de aliquo horum, Sacerdos crucesignatione utitur.* ibid. ad 3. Illud postremo omittendum non est, quod de hostiae fractione dicit Angelicus: *Fractio hostiae tria significat; primo quidem ipsam divisionem corporis Christi, quae facta est in passione; secundo distinctionem corporis mystici secundum diversos status; tertio distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi... Sicut Sergius Papa dicit:* Triforme est corpus Domini; pars oblata in calicem missa, corpus Christi quod iam resurrexit; monstrat, *scilicet ipsum Christum, et Beatam Virginem, vel si qui alii Sancti cum corporibus iam sunt in gloria*; pars comesta ambulantes adhuc super terram, *quia scilicet viventes in terra Sacramento utuntur*

et passionibus conteruntur, *sicut et panis comestus conteritur dentibus*; pars in Altari usque ad finem Missae remanens est corpus iacens in sepulchro, quia usque in finem saeculi corpora in sepulchris erunt. (*De Consecr. Dist.* 2. *cap.* 22.) *quorum tamen animae sunt vel in purgatorio*, *vel in Coelo*..... *Quidam tamen dicunt quod pars in calicem missa significat eos*, *qui vivunt in hoc mundo*; *pars autem extra calicem servata significat plene beatos*, *scilicet quantum ad animam et corpus*; *pars autem comesta significat ceteros*...... *Per calicem duo possunt significari. Uno modo ipsa passio Christi*, *quae repraesentatur in hoc sacramento*: *et secundum hoc per partem in calicem missam significantur illi*, *qui adhuc sunt participes passionum Christi. Alio modo potest significari fruitio beata*, *quae etiam hoc sacramento praefiguratur*: *et ideo illi*, *quorum corpora iam sunt in plena beatitudine*, *significantur per partem in calicem missam*. ibid. ad 7. ad 8. ad 9.

Caput V.

Praecipuae Theologorum quaestiones circa Eucharistiae Sacramentum, et Sacrificium declarantur.

Catholica doctrina de Eucharistiae Sacramento, ac Sacrificio confirmata, Corollariisque ab ea deductis, praecipuas Theologorum quaestiones declaremus oportet.

§. I. Disputant primum Theologi, utrum pro Eucharistiae materia solus panis confectus ex tritico adhibendus sit, an possit etiam adhiberi panis ex siligine, vel hordeo confectus. Quod enim ad panem ex tritico factum attinet, nulla prorsus quaestio est. Nam *ad usum Sacramentorum*, sic docet Angelicus, *assumitur talis materia, quae communius apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo, nam alii panes videntur esse introducti in huius panis defectum. Et ideo Christus creditur*

in huius panis specie hoc sacramentum instituisse: *qui etiam panis magis confortat hominem; et ita convenientius significat effectum huius sacramenti. Et ideo propria materia huius Sacramenti est panis triticeus*. p. III. q. LXXIV. a III. c. Panis vero ex siligine factus propria quoque huius Sacramenti materia eidem Angelico videtur. Sic enim ratiocinatur: *Si qua frumenta sunt, quae ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo), ex tali frumento panis confectus potest esse materia huius Sacramenti: quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius*. ibid. ad 2. Propria etiam huius Sacramenti materia videtur Estio panis, qui fit ex *farre*, *quod proprie adoreum dicitur*, *et zea*, *quae vulgo spelta vocatur*. Lib. IV. Distint. VIII. §. 6. At alii alia omnia sentiunt. Ceterum solius panis triticei usum licitum esse fatentur omnes; ita, ut qui alia panis specie uteretur, procul dubio peccaret.

§. II. Quod autem ad azymum, et fermentatum panem, quid Latini sentiant, quid contra Graeci, norunt omnes. Rationes, quibus Latini contendunt Christum, in Eucharistia conficienda, azymo pane usum fuisse, Bellarminus Lib. IV. de Sacr. Euch. Capp. VII. VIII. IX. et Natalis Alexandr. in Dissert. XI. Saec. XI. XII. inter ceteros collegerunt. Nos brevitatis causa praeterimus. Utrum vero semper panem fermentatum Graeca Ecclesia, et azymum panem Latina adhibuerit, disputant quoque Theologi: quorum variae sententiae in citata Natalis Alex. Dissert. art. 3. recensentur. At illud omnino certum est, consecrationem sive azymi, sive fermentati aeque validam esse; non licere autem Latinis fermentatum panem adhibere, nec Graecis azymum. Utrumque enim in Florentino Concilio his verbis definitum fuit: *Item in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive*

Occidentalis, *sive Orientalis consuetudinem.* In Definitione Fidei.

§. III. De altera Eucharistiae materia tria in disputationem veniunt; primum scilicet, ad Sacramenti naturam pertineat, nec ne aquae cum vino mixtura; alterum, Divina, an Ecclesiastica lege praescribatur huiusmodi mixtio; tertium, an aqua vino mixta in Christi sanguinem convertatur. Circa primum ex S. Bernardi Epist. LXIX. ad Guidonem Abbatem colligimus quosdam putasse aquae mixtionem adeo necessariam, ut sine ea non conficeretur Sacramentum; in quorum sententiam ivisse videtur Armachanus Lib. IX. de Quaest. Armenor. Cap. IX. At contrariam sententiam post S. Thomam defendunt plurimi Theologi. Circa alterum aquae cum vino miscendae praeceptum, non Ecclesiasticum modo, sed etiam Divinum esse arbitrantur Alexander Alensis IV. parte quaest. X. membr. IV. art. 1. Hosius in Confessione Catholica Cap. XIV. Alphonsus a Castro adv. Haeres. Haer. VII. Valdensis contra de Sacram. Titul. IV. Cap. XXXII. n. 10. Divinum prae-

ceptum non agnoscit, nec Christum aquam vino miscuisse admittit: hoc tamen incertum esse dicit Durandus in IV. Sentent. Dist. IX. qu. V. Sed vinum aqua mixtum a Christo adhibitum fuisse nonnulli Patres, et Concilia quaedam adfirmarunt, quorum testimonia iam retulimus pag. 156. et 157. quibus etiam concinit Eugenius IV. in Florentino Conc. quum ait: *Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia Sanctorum Patrum, ac Doctorum Ecclesiae pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum.* Decr. pro Instruct. Armenor. Idem confirmat Tridentinum, quod vide etiam citata pag. 157. Circa tertium denique, XIII. Ecclesiae saeculo non defuerunt Theologi, qui adfirmarent, vino in Christi sanguinem converso, aquam nulli mutationi subiacere. *Sed haec opinio*, ait S. Thomas, *stare non potest*,

quia in Sacramento Altaris post consecrationem nihil est nisi corpus, et sanguis Christi. p. III. q. LXXIV. a. VIII. c. Alii vero opinabantur, sicut vinum in Christi sanguinem, ita aquam converti in aquam illam, quae e Christi latere manavit. *Sed nec hoc rationabiliter dici potest,* ait idem Angelicus, *quia secundum hoc aqua seorsum consecraretur a vino, sicut vinum a pane.* ibid. Angelico autem eorum opinio probabilior videtur, *qui dicunt aquam converti in vinum, et vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquae, ut solveretur species vini, non posset perfici sacramentum.* ibid. At aliis Theologis non paucis longe probabilius visum est aquam ipsa verborum vi in Christi sanguinem converti. Hanc namque sententiam comprobant nonnulla Patrum testimonia. Christus nimirum *format sanguinem suum,* sic loquitur S.

Hieronymus, *in calice vino et aqua mixtis.* In Cap. XIV. Marci. *Vinum cum aqua in calice mixtum*, sic Auctor Librorum de Sacram. *fit sanguis consecratione verbi coelestis.* Lib. IV. Cap. III. *Qui fecit omnia*, ita demum S. Ioan. Damascenus, *potest ex vino, et aqua sanguinem suum conficere.* Lib. IV. Orthodoxae Fidei Cap. XIV. Eandem quoque sententiam tenuisse SS. Iustinum, Irenaeum, Cyprianum ex eorum verbis colligere licet, quae supra retulimus pag. 156, 157.

§. IV. Porro circa Eucharistiae formam in diversas sententias iverunt Theologi. Quidam enim Christum non verbis, sed interna, et occulta benedictione Sacramenti huius materiam consecrasse, secundum *potestatem excellentiae* ipsius propriam, censent. Citant autem in primis Innocentium III. quem suis partibus favere putant, ubi scribit: *Dici potest, quod Christus virtute Divina confecit*, (hoc Sacramentum), *et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria bene-*

dixit, nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis. Lib. IV. Mysteriorum Missac Cap. VI. Haec sententia placuit etiam Durando Lib. IV. de Divinis offic. Cap. XLI. n. 15. At ulterius progressus est Ambrosius Catharinus in duobus Opusculis, quae de hoc argumento scripsit. Nam praeter quam quod Durando consentit, Christum affirmans, non verbis, sed arcana benedictione consecrasse, et nobis verba illa *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis, meus* praescripsisse, quibus consecraremus, addit tamen verba, etsi necessario ob Christi iussum proferenda a Sacerdote, pronuntiari *historice* tantum, ac *narrative*, non *significative*, nec *effective*; atque consecrationem non solis eiusmodi verbis fieri, verum etiam precibus, quas verbis ipsis praemittunt Latini, subiungunt Graeci. *Fit ergo nobis*, ita concludit Catharinus, *corpus Christi propter orationem praemissam, et ex vi pacti; et sic defenditur mos Graecorum.* Nimirum Graeci post verba illa: *Hoc est corpus meum*, Deum orant *super proposita,*

nempe super Eucharistiae materia, *Sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi*, ut refert S. Cyrillus Hierosol. Catteches. Mystag. V. n. 5. et observare quilibet potest in Graecis Liturgiis apud Goar pag. 61. 62. 143. et 144. Venetiis CIƆIƆCCXXX. Haec enim oratio transubstantiationem nondum esse factam prodit; quod etiam confirmant, quae sequuntur Cyrilli verba: *Omnino enim, quod attigerit Spiritus Sanctus, hoc sanctificatur, et transmutatur.* Quidam vero Christum verbis consecrasse censent, sed verba haec nobis ignota esse opinantur. Alii demum verba illa, quae novimus, bis Christum dixisse autumant; *primo quidem secrete ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum*, ut refert S. Thomas III. p. qu. LXXVIII. art. I. ad I. quem videsis. Sed, reiecta Catharini opinione, communis Scholasticorum Theologorum sententia est, verba quae Eucharistiae formam proprie continent, quibus scilicet fit *transubstantiatio*, haec esse, nempe: *Hoc est corpus meum*

Hic est calix sanguinis mei, vel *hic est sanguis meus*. Quod quidem communi dicendi ratione a Patribus, quum de hoc mysterio loquuntur, adhibita praecipue confirmant (1).

§. V. Praeterea utrum valeat panis consecratio sola sine consecratione vini, ac vice versa consecratio vini sine panis consecratione, disputant Theologi. Nimirum *quidam antiqui doctores*, ita refert S. Thomas, *dixerunt, quod hae duae formae, scilicet consecrationis panis, et vini, se invicem expectant in agendo, ita scilicet quod prima non perficit suum effectum, antequam proferatur secunda*. p. III. q. LXXVIII. a. VI.

---

(1) In calicis consecratione ad formae substantiam illa quoque verba, *Novi, et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* pertinere, arbitratur S. Thomas p. III. q. LXXVIII. a. III. c. In consecratione vero panis necessaria omnino esse ad transubstantiationem verba: *Qui pridie quam pateretur* ec. opinatur Scotus in IV. Dist. VIII. q. II.

c. Ideo autem talem consecrationem invalidam putabant, quod contra Christi institutionem fieret. Christus enim utramque materiam, panis scilicet et vini consecravit, ut Eucharistiae non Sacramenti tantum, sed etiam Sacrificii ratio inesset: quare utriusque materiae consecratio ad Eucharistiae substantiam pertinet. Vide Card. de Lugo De Sacramento Eucharistiae Disp. XIX. sect. VIII. At huic sententiae altera opponitur, quam tenet S. Thomas, qui post verba iam allata, sic scribit: *Sed hoc stare non potest: quia sicut dictum est ad veritatem huius locutionis*, Hoc est corpus meum, *requiritur, propter verbum praesentis temporis, quod res significata simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis; alioquin si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum praesentis, ita scilicet, quod non diceretur*, Hoc est corpus meum, *sed* hoc erit corpus meum. *Significatio autem huius locutionis completur statim completa prolatione horum verborum. Et ideo opor-*

tet rem significatam statim adesse, quae quidem est effectus huius sacramenti, alioquin locutio non esset vera. Est etiam haec positio contra ritum Ecclesiae, quae statim post prolationem verborum corpus Christi adorat. Unde dicendum est, quod prima forma non expectat secundam in agendo, sed statim habet suum effectum ibid. In eadem sententia tenenda S. Thomae praeiverat S. Bernardus, qui Epistolam, quam super hoc argumento scripsit, sic concludit: *Quum ergo prius de pane corpus, quam de vino sanguis more Ecclesiastico conficiatur: si per oblivionem tardius quod posterius sacrandum est, apponatur, non video quid sacris praecedentibus tarditas possit praeripere consequentium. Puto enim quod si Domino post factum de pane suum corpus, vini consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certe penitus omittere; nihilominus corpus mansisset quod fecerat; nec factis facienda praescriberent. Nec nego panem et vinum, aqua quidem mixtum, simul debere apponi: quin potius assero*

haud aliud debere fieri. Sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam; aliud (inquam) est quod causamur non bene quippiam fieri, et aliud quod mentimur nec fieri. Epist. LXIX. ad Guidonem. Extra omnem vero dubitationis aleam positum est, panem sine vino, aut vinum sine pane consecrare illicitum prorsus esse; quippe quod Christi institutioni, ac praecepto repugnat. Quamobrem utriusque materiae consecratio iure divino, non ecclesiastico tantum praescripta est, etsi non defuerint qui contrarium senserint.

§. VI. Quod denique ad huius Sacramenti usum pertinet; an Christus corpus, et sanguinem suum ipse sumserit quaerunt Theologi. *Quidam dixerunt*, ut narrat Angelicus, *quod Christus in coena corpus et sanguinem suum Discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpsit.* p. III. q. LXXXI. a. I. c. Attamen in opposita fuit sententia S. Hieronymus, qui aperte scripsit: *Dominus Iesus Christus ipse conviva, et convivium, ipse comedens, et qui comeditur.* Epist. ad

Hedibiam. Quam Hieronymi sententiam tenens Angelicus, hoc ratiocinio confirmat: *Christus ea quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde et ipse prius baptizari voluit, quam aliis baptismum imponeret, secundum illud:* Coepit Iesus facere et docere. *Unde et primo ipse corpus suum, et sanguinem sumsit, et postea discipulis sumendum tradidit.* ibid. c. Et paullo post: *In Evangeliis legitur quod Christus accepit panem, et calicem. Non est autem intelligendum, quod acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt; sed eo modo accepit, quo aliis accipiendum tradidit. Unde quum discipulis dixerit* Accipite et comedite, *et iterum* Accipite et bibite, *intelligendum est, quod ipse accipiens comederit, et biberit* ibid. ad 1.

§. VII. Quamquam omnes omnino Catholici Theologi in Missa verum, ac proprium sacrificium agnoscant, fidei enim dogma est hoc, ut iam demonstravimus: non omnes tamen eandem sententiam tenent, ubi quaeritur in

quanam Missae parte Sacrificium proprie consistat. Nos nimiae prolixitatis vitandae studio, praecipuas afferemus. Nonnulli, quibus consentire videtur Magister Sententiarum totum Missae sacrificium in Crucis Sacrificii repraesentatione consistere arbitrati sunt. *Et semel Christus*, sic loquitur citatus Theologus, *mortuus est in Cruce, ibique immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.* Lib. IV. Distinct. XII. In quibus Magistri verbis notatione dignum, quod nulla fit immolationis mentio, sed tantum immolationis recordatio nominatur. Quare haec sententia iure Theologis quam plurimis non arridet. *Revera nondum*, animadvertit Estius, *hoc pacto explicatur proprii nominis Sacrificium. Nam iuxta eam declarationem pictura, vel actio scenica Christi passionem nobis repraesentans proprie sacrificium diceretur.* In cit. Lib. et Dist. §. XII. Estius autem sentit in pluribus Missae partibus simul sumtis Eucharisti-

ci sacrificii naturam ponendam esse. *Quarum prima, et praecipua est consecratio*, sic ipse loquitur, ibid. Altera autem pars est specierum fractio. Sic enim pergit: *An autem etiam fractio specierum Eucharistiae passionem Christi repraesentet, ac subinde partem aliquam huius sacrificii constituat, quaeri potest. Quidam negant, eo quod fractio tantum instituta videatur ad distributionem. Sed rectius affirmant alii et probant, quia ad fractionem expressa fit passionis commemoratio, dicente Sacerdote.* Agnus Dei qui tollis ec. *Et Apostolus* I. Cor. XI. *dicit Christum dixisse in huius Sacrificii institutione:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, *quomodo Graeci legunt. Pro quo apud Lucam legitur:* Quod pro vobis datur, *idest offertur, ut intelligamus fractionem illam oblationis huius, seu Sacrificii partem constituere.* ibid. Tertia vero est sanguinis effusio, quae repraesentatur *per hoc quod sanguis bibitur, idest per modum potus sumitur..... Postremum inter actiones ad sacrificium pertinentes*

locum habet sumtio, seu consumtio rei oblatae. ibid. Sed communi Theologorum sententia totam sacrificii naturam consecratio comprehendit. Quae quidem sententia multis Patrum testimoniis comprobatur. Eiusmodi autem testimonia non referimus, quum in dogmaticis propositionibus demonstrandis iam pleraque allata fuerint. Non est autem praetermittendum illud Chrysostomi: *Vox haec* Hoc est corpus meum, *semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam ab illo* (Christo) *ad hodiernum usque tempus, et usque ad adventum eius, Sacrificium perfectum efficit.* Homil. I. de proditione Iudae, n. 6. tom. II. pag. 384. Edit. MM. Confirmatur etiam auctoritate S. Thomae, qui sic scribit: *Consecratio Chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiae, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiae* p. II. q. LXXXII. a IV. ad 1. Et alibi: *Alia sacramenta perficiuntur in usu fidelium . . . . . Sed hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua Sacrificium Deo offertur.* ibid. a. X. ad. 1.

§. VIII. Praecedenti quaestioni adfinis pror-

sus est haec, quae sequitur; quo scilicet modo in Eucharistiae sacrificio locum habeat victimae immolatio, seu mactatio. Quidam aiunt victimae mactationem ad Sacrificii substantiam non pertinere, quod similae, farinae, aliarumque rerum eiusmodi oblatione in veteri Testamento praecepta, comprobare conantur. At haec exempla ad rem non facere videntur; alia siquidem est rei animatae, alia inanimatae offerendae ratio. Quidam vero longe plures in separata panis, et vini consecratione mactationem reponunt. *Quantum enim est ex parte verborum consecrationis*, sic ratiocinatur Estius, *Christus immolatur, idest sanguis eius a corpore separatur. Nam etsi pecus ita immolaretur, ut tamen per miraculum partes divisae adhuc viverent, vel in utrisque tota substantia maneret, adhuc diceretur immolatum: et si animal secaretur in partes, in quibus miraculose adhuc vita remaneret, uti fit in partibus sacramenti post fractionem, diceretur nihilominus late animal immolatum, vel sacrificatum, dummodo talis mactatio, vel divisio fieret in agnitionem summi dominii.*

Recte proinde dicere videntur, concludit citatus Theologus, *qui docent huius sacrificii rationem consistere in consecratione, quia Christus in altari per modum hostiae sistitur*, *seu praesens exhibetur*. Lib. IV. Distin. XII. §. 12. *Haec sententia*, ait autem Bellarminus, *non videtur ita satisfacere, ut omnino animus conquiescat.* Ipse igitur censet non in separata consecratione, sed in sola consecratione Christi immolationem esse reponendam. *Per consecrationem*, ita argumentatur, *res quae offertur ad veram, realem, et externam mutationem, et destructionem ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificii. Nam per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi; cibus autem ad comestionem, et per hoc ad mutationem, et destructionem ordinatur. Neque obstat quod corpus Christi nullam in se laesionem patiatur, neque esse suum naturale amittat, quum manducatur Eucharistia: nam amittit esse sacramentale, et proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis.* Lib. I. de Missa cap. XXVII. At ne haec quidem Bellarmini

sententia aliis placet, qui animadvertunt victimae comestionem, sacrificio iam peracto, fieri, ideoque sacrificii ipsius partem *integralem* potius esse, quam *essentialem.* Hi ergo aiunt victimae mactationem esse quidem in sacrificio prorsus necessariam; sed posse vel ante, vel post oblationem locum habere, modo cum oblatione *moraliter* coniungatur. Quo posito principio, sic argumentantur: Christus in cruce veram, et realem immolationem passus est, qua immolatione semel iam facta, necessarium non est iterum victimam occidi, sed tantum Deo offerri per actionem cum immolatione iam facta *moraliter* coniunctam; quod quidem in separata consecratione obtinetur. Nonnulli denique veram immolationem in Eucharistiae Sacrificio locum habere ita ostendunt. Christus id effecit, quod dixit; efficacissima enim ejus verba fuerunt. Atqui se corpus suum tradere et sanguinem fundere dixit Eucharistiam celebrans. Ergo etsi non in coena, sed postridie, illorum tamen verborum vi mortuus est; ideoque verba illa per se immolationis verae causa sunt.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Caput I.

Quid Poenitentiae nomen significet in Scripturis; quid vero sit Sacramentum Poenitentiae, et quibus vocabulis praecipue indicetur, exponitur.

§. I. Poenitentiae nomine tria complectitur Scriptura. Primo scilicet poena, qua perpetratum crimen aliquis quum detestetur punit, poenitentia vocatur, ubi legimus: *Si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* Matth. XI. 21. Et alibi: *Poenitentiam egerunt, Ninivitae, ad praedicationem Ionae.* Luc. XI. 32. Secundo poenitentia dicitur admissi sceleris odium, ac detestatio, ubi scriptum est: *Poenitentiam agite,* commissum Deicidium odio prosequimini, *et baptizetur unusquisque vestrum.* Actor. II. 38.

Tertio denique vitae veteris mutatio poenitentia appellatur in ea sententia: *Quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur.* II. Cor. VII. 10. Poenitentiae vero nomen, si Sancti Isidori etymon placet, a poena, qua crimen suum aliquis punit, proprie derivat. *A punitione poenitentia nomen accepit, quasi punientia, dum ipse homo punit poenitendo quod male admisit.* Originum Lib. VI. At si rem perpendamus, eiusmodi poenitentia alterius est effectus, illius nempe, qua crimen odio habemus, et detestamur. Nullus enim castigat, nisi id quod male factum agnoscit, ac odit.

§. II. Poenitentia secundum rationem Sacramenti, de qua hic loquimur, definiri potest: *Signum sensibile ad reconciliationem eorum, qui post Baptismum lapsi sunt, a Deo institutum.* Vel, ut aliis placet: *Sacramentum, quo relapsis vere contritis, confessis, et satisfacere proponentibus Sacerdotalis absolutio impenditur.* Nimirum *Signum sensibile*, vel *Sacramentum* dicitur

Poenitentia, ut id, in quo cum ceteris Sacramentis convenit, nempe *genus* indicetur. Quae vero sit propria huius Sacramenti *gratia*, et quae ipsius *materia*, ac *forma* indicant cetera verba, quibus scilicet huius Sacramenti a reliquis *differentia specifica* continetur. Reconciliatio enim eorum qui post Baptisma in grave crimen relapsi sunt, est propria Sacramenti Poenitentiae gratia: Contritio, Confessio, Satisfactionis propositum sunt eiusdem Sacramenti *materia* vel potius *quasi materia*, forma autem Sacerdotalis absolutio.

§. III. Ex iam dictis facile prorsus est intelligere cur Sacramentum hoc dicatur *Poenitentia*, *Reconciliatio*, *Confessio*, *Sacramentum Absolutionis*. Dicitur etiam *manuum impositio* a caeremonia exteriori, quae tamen nec ad Sacramenti substantiam pertinet, nec ita est huius Sacramenti propria, ut *Confirmationi* quoque ac *Ordini* minime conveniat. A veteribus, Tertulliano praecipue, ac Cypriano vocatur *Exomologesis*, quod graecum vocabulum idem sonat ac Confessio:

item *Communicatio*, seu *Communio*; tum quia per eam excommunicationis vinculum solvitur; tum quia peccatores ex mortuis, viva Christi membra efficiuntur, ideoque cum ceteris vivis membris communicant; tum quia lapsis post Baptismum ius Eucharistiae percipiendae restituitur, et via ad Eucharistiam digne sumendam reseratur. Dicitur demum *Pax* quia per sanctificantem gratiam pax conscientiae recuperatur. Non raro appellatur a Patribus *Secunda post naufragium tabula*, quia nempe per eam gratia, olim Baptismo accepta, recuperetur: nec non *Laboriosus Baptismus*, vel *Baptismus lacrymarum*; non enim sine labore, ac sine lacrymis gratiam per Poenitentiam recuperant adulti, qui nullo labore, ac sine lacrymis per Baptismum gratiam primo acceperunt infantes.

Caput II.

Quae de Poenitentiae Sacramento Catholica Ecclesia docet; *quae contra comminiscitur haeresis, exponuntur.*

§. I. Sacramenti Poenitentiae Catholicam doctrinam propositiones, quas subiicimus, complectuntur.

I. Poenitentia in Catholica Ecclesia est verum, ac proprium Sacramentum a Baptismi Sacramento distinctum.

II. Christus Poenitentiae Sacramentum instituens, potestatem quaevis peccata remittendi, vel retinendi concessit Ecclesiae.

III. Ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiruntur tres actus in poenitente, *quasi materia* Sacramenti Poenitentiae, videlicet *contritio*, *confessio*, *satisfactio*, quae tres Poenitentiae partes dicuntur.

IV. Dolor ille, qui *contritio* appellatur, verus, et utilis, liber, et voluntarius est. Item Gehennae metus, per quem ad misericor-

diam Dei de peccatis dolendo confugimus, bonus est, et utilis.

V. *Sacramentalis Confessio* iure Divino est instituta, et ad salutem necessaria. Haec ipsa Confessio *impossibilis* non est, nec est traditio humana a piis abolenda; atque ad eam tenentur omnes et singuli utriusque sexus Christi fideles iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno.

VI. In Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum obtinendam necessarium est iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habetur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant. Peccata vero venialia confiteri licet.

VII. In Sacramento Poenitentiae tota poena simul cum culpa non semper remittitur a Deo.

VIII. Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, contra finem clavium, et institutionem Christi non agunt.

IX. Pro peccatis, quod ad poenam tempora-

lem, Deo, per Christi merita, pietatis operibus fit satis. Eiusmodi autem opera sunt poenae a Deo inflictae, et a poenitente patienter toleratae, vel a Sacerdote iniunctae, vel sponte susceptae, ut ieiunia, orationes, eleemosynae, aliaque his similia.

X. Absolutio sacramentalis est iudicialis actus, non nudum ministerium declarandi remissionem peccatorum fide obtentam.

XI. Soli Sacerdotes, iurisdictionis potestate praediti, sunt Sacramenti Poenitentiae ministri.

XII. Summus Pontifex in tota Ecclesia, et Episcopi in sua Dioecesi habent ius reservandi sibi casus, ita ut ab illis sine speciali iurisdictione inferiores Poenitentiae ministri absolvere non possint.

§. II. Quod vero ad haereses attinet expositae iam doctrinae adversas, primum locum obtinet Montanistarum error II. Ecclesiae saeculo in Oriente disseminatus. Isti scilicet, prout a Montano eorum parente didicerant, facultatem graviora quaedam peccata, veluti idololatriam, homicidium,

adulterium dimittendi Ecclesiae negabant. In eumdem errorem inciderunt saeculo III. Novatiani, qui Novati opinionem temperarunt; siquidem iste, multorum veterum testimonio, omnem facultatem peccata remittendi Ecclesiae ademit. Deinde Waldenses Saeculo XIII. item Wicleffitae, Hussitae, et Hieronymus Pragensis Saeculo. XIV. et XV. Sacramentum Poenitentiae, ut et cetera Sacramenta, ministrandi facultatem a malis Sacerdotibus amitti somniarunt. Lutherus porro, Melancton, aliique ex Lutheranis, licet Poenitentiae Sacramentum omnino non reiiciant, utrum tamen veri nominis Sacramentum sit, dubitant; et absolutionem non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium remissionem peccatorum fide obtentam pronunciandi delirant. Multi demum Lutheranorum, et Calvinistae omnes Sacramentum hoc penitus reiiciunt, ipsum a Baptismo non distingui affirmantes, ac peccatorum remissionem in sola Baptismi memoria reponentes: quo quidem errore ad omne peccati genus facillime perpetrandum amplissimam viam aperiunt.

PROPOSITIO I.

Poenitentia in Catholica Ecclesia est verum, ac proprium Sacramentum a Baptismi Sacramento distinctum.

Probatur I. Scripturis. Sic enim Petrum alloquitur Christus. *Tibi dabo claves regni Coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis; et quodcumque solveris super terram erit solutum et in Coelis.* Matth. XVI. 19. Eisdem verbis deinde ceteros Apostolos alloquitur: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in Coelo; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in Coelo.* ibid. XVIII. 18. Demum quum a mortuis resurrexisset, sic eosdem Apostolos allocutus est: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. XX. 22. 23. Nimirum eiusmodi Christi sententiae omnia illa exhi-

bent, quae ad constituendum veri nominis Sacramentum requiruntur; *signum* nempe *sensibile*, *gratiam*, et *institutionem divinam*. *Signum* namque *sensibile* est hominis quem peccatorum suorum poenitet confessio, et Sacerdotis absolutio; utramque vero continent allata Christi verba, siquidem nisi poenitens peccator culpas confiteatur, sententiam suam vel remittendo, vel retinendo pronuntiare non potest Sacerdos, ut deinceps ostendemus: *gratia*, est peccatorum remissio, quae per Sacerdotis absolutionem obtinetur: *divina institutio* demum est ipsa remittendi potestas, quam Christus Apostolis, eorumque successoribus tradidit. Quod vero Poenitentia sit Sacramentum a Baptismo distinctum evidenter demonstrant tum diversa Christi institutio, tum diversa materia, ac forma, tum etiam diversa gratia. Baptismum enim Christus instituit diverso tempore, ac diversis verbis, ut ex iis, quae diximus Vol. V. pag. 240 et seqq. constat. Praeterea Baptismi materia est aqua,

forma vero: *Ego te baptizo* cc. (ut demonstravimus in eodem Vol. pag. 159.) Gratia denique, *originalis peccati*, *actualis* quoque in adultis, et omnis poenae remissio (ibid. pag. 178) Porro peccata post Baptismum commissa sola Baptismi recordatione non remitti, iam comprobavimus (ibid. pag. 197).

Prob. II. Patribus. Scribit namque S. Cyprianus: *Primus felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere. Illic currit innocentia integra, et illibata, quae servet; hic succedet medela, quae sanet: quod utrumque isti, offenso Deo, perdiderunt, ut et amissa sit gratia, quae de Baptismi sanctificatione percipitur, et non subveniat Poenitentia, per quam culpa curatur.* Epist. LV. Si ergo Baptismum Sacramentum est, etiam Poenitentia quae cum Baptismo comparatur Sacramentum erit. Quomodo autem cum Baptismo S. Cyprianus; ita cum Baptismo simul et Confirmatione Poenitentiam componit S. Pacianus Barcinonensis Episcopus: *Solus*

hoc, peccata scilicet remittere, *inquies Deus poterit. Verum est, sed et quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit*: Quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in Coelis, et quaecumque solveritis in terris, soluta erunt, et in Coelis. *Cur hoc, si ligare hominibus, ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum Sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam Apostolis imperatum est.* Epist. I. ad Sympronianum Novatianum. Hos sequitur S. Ioan. Chrys. *Qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, ut ea, quae in Coelis sunt dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis, datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est.* Quaecumquae alligaveritis in terra, erunt alligata et in Coelo..... *Etenim quid hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum coelestium potestatem illis a Deo concessam?*

Quorumcumque, *ait*, peccata retinueritis, *retenta sunt. Quaenam obsecro potestas hac una maior esse queat*? Et postea: *Non solum Sacerdotes, quum regenerant*, Baptismo scilicet, *sed etiam postea*, scilicet Poenitentia, *condonandorum peccatorum obtinent potestatem*. Lib. III. de Sacerdotio. Concinit Alexandrinus Cyrillus: *Duobus modis, Dei spiritu afflati homines, peccata remittunt ac retinent: vel quum dignos admittunt ad Baptismum, et indignos excludunt; vel quum filios Ecclesiae peccantes corripiunt, ac poenitentibus ignoscunt.* Lib. XII. in Ioan. Nec non Augustinus: *Agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago; Novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est*: Quae solveritis in terra, soluta erunt in Coelo? *Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi?* Serm. CCCXCII. n. 3.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate.

Sic enim definit Tridentinum Concilium: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.* Sess. XIV. De Poenit. Can. I. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.* ibid. Can. II.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. In Actibus Apostolorum ipsos Sacramentum Poenitentiae ministrasse nunquam legimus. Commentitium ergo est hoc Sacramentum.

Resp. Actuum Apostolorum silentium, utpote argumentum *mere negativum*, Scripturae, ac Traditionis *positiva* argumenta quae

attulimus destruere nequit. Praeterquamquod enim non omnia, quae a Christo, et ab Apostolis gesta sunt, refert Scriptura; contingere etiam potuit, ut aliqua ex causa historiae Apostolicae Scriptor hoc Apostolorum factum silentio praetermitteret. Nimirum quum ea narret historicus ille, quae Apostoli gesserunt Iudaeis, et Gentilibus Christum praedicantes, hi autem non Poenitentiae, sed Baptismi sacramento indigerent; mirum non est de Poenitentiae sacramento ne verbum quidem dixisse. In eadem vero historia miris laudibus extollitur fidelium innocentia; quae quidem efficiebat, ut Poenitentiae usus tunc temporis rarissimus esset.

Obiic. II. Poenitentia in veteri quoque Testamento eandem vim habuit peccata remittendi, quam habet in novo Testamento. Atqui in veteri Testamento Sacramentum non fuit. Ergo ne in novo quidem Sacramentum est.

Resp. Falsum prorsus est eandem fuisse Poenitentiae efficaciam in antiquo foedere,

atque in novo: In antiquo enim simplex virtus fuit, quae *ex opere operantis* remissionem peccatorum vere contrito procurabat: at contra in novo Testamento sacramenti rationem habet, quod *ex opere operato* peccata remittit, ut iam demonstravimus.

PROPOSITIO II.

Christus Poenitentiae Sacramentum instituens, potestatem quaevis peccata remittendi, vel retinendi concessit Ecclesiae.

Prob. I. Scripturis. Quum enim peccata remittendi facultatem Petro Christus concessit, metaphora clavium usus est. Sed qui claves habet, aperire potest, quotiescumque vult. Ergo Ecclesia quibusvis peccatoribus Coelum aperire valet. Deinde vinculorum metaphoram adhibens Christus ipse, vinculum a vinculo non distinxit, sed generatim sententiam pronuntiavit: *Quaecumque solveritis super terram; erunt soluta et in Coelo.* Nec

peccatum a peccato discrevit, quum absolute dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. XX. 23. Immo nullum omnino peccatum se excipere aperte demonstravit verbis illis, quae ante iam dicta protulit; ait namque: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* ibid. v. 21. Nimirum eandem potestatem peccata remittendi, quam ipse a Patre accepit, Ecclesiae concessit. Et re quidem vera hanc Christi concessionem non alio modo interpretati sunt Apostoli, qui a gravissimis quibusque criminibus absolverunt, ut Paulus ab incestu Corinthium illum, de quo II. Cor. II. et Ioannes a sceleribus multis, et nefariis iuvenem illum perditissimum, latronum ducem factum, de quo Eusebius Hist. Eccl. Lib. I. Cap. XXIII. et Chrysost. Lib. I. ad Theodorum lapsum Cap. XI.

Prob. II. Patribus. Hi namque citata Scripturarum testimonia ita intelligunt, ut omnia prorsus peccata, nullo quidem excepto, remittendi facultatem a Christo Ecclesiae datam affirment. Nimirum de pace lapsis in idololatriam danda ita cum Cypriano scribunt plu-

res Africani Episcopi: *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, et divina clementia Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus, ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de saeculo recedentes sine communicatione, et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in Coelis ligata essent, solvi autem possent illic, quae hic prius in Ecclesia solverentur.* S. Cypr. Epist. LIV. S. Ambrosius vero Novatianos ita compellat: *Distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda vobis putetis, et quae sine remedio arbitremini; sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* Lib. I. de Poenit. Cap. III. n. 10. *Quum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Christi Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum misericordem, noverat Dominum Iesum severitate magis Disci-*

pulorum offensum, quam misericordia. ibid. Cap. XVI. n. 87. Plura demum divinae erga peccatores Misericordiae exempla e Scripturis colligit S. Pacianus contra Novatianos ostendens omnia prorsus peccata per Exomologesin posse remitti. Aliqua brevitatis studio referamus: *Quid illa*, inquit, *tot similitudinum Dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, et gratulatur inventam. Quod pastor ovem reportat erraticam. Quod filio revertenti post prodacta omnia bona, et cum meretricibus, et fornicariis épotata, pater blandus occurrit, et invidum fratrem ostensa ratione castigat?* Filius, *inquiens*, meus hic mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est. *Quid ille in via vulneratus, a Levita, et Sacerdote praeteritus? Nonne curatur? Revolve, quae Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertae dilectionis accusat; stuprum Tiathyrenis imputat; Sardios in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit; Laodicenorum divitias inurit; et tamen omnes ad poe-*

nitentiam satisfactionis invitat. Epist. I. ad Sympronian. in Bibliot. PP. Tom. IV. pag. 306. G. *Nec eos audiamus*, concludit Augustinus Catharos carpens, *qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiae claves Regni Coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt.* De Agone Christiano Cap. XXXI. n. 33.

Probatur III. Auctoritate Catholicae Ecclesiae, quae Montanistarum, et Novatianorum doctrinam ut haerecticam habuit, atque proscripsit. Catholicae scilicet fidei plura habemus monumenta. Primum suppeditant Scriptores, qui adversus Montanistas, et Novatianos antiquum dogma defenderunt, ut constat ex Eusebio Lib. V. Hist. Eccl. Cap. XVI. XVII. XVIII. XIX. Iis autem, qui ab Eusebio commemorantur, alii innumeri addi possent, et in primis Sancti Ambrosius, et Pacianus. Alterum Concilia, in quibus eadem haeresis damnata fuit; ac praecipue Romanum sub Cornelio Pontifice medio

saec. III. cuius definitionem omnes Catholicarum Provinciarum Episcopi libentissime receperunt, teste Eusebio Hist. Eccl. Lib. VI. Cap. XLIII. Tertium, perpetua praxis Ecclesiae, quae peccatores quorumlibet criminum vel gravissimorum reos ad poenitentiam admisit. Quartum denique omnia illa Conciliorum decreta, et poenitentialium librorum statuta, quibus pro varia peccatorum malitia varius poenitentiae agendae modus definitur.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. *Si peccaverit vir in virum, placlari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* I. Reg. II. 25. Dantur ergo aliqua peccata, quae remitti nequeunt.

Respondet primo S. Ambrosius : *Scriptum non est, nullus orabit pro eo ; sed* quis orabit? *Hoc est, quis sit ille, qui in tali causa orare possit, quaeritur, non excluditur .... Singularis vitae aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Do-*

minum ; quo maior culpa, eo maiora sunt quaerenda suffragia. L. I. de Poen. Cap. IX. n. 40.

Respondeo secundo. Quum ibi de peccato filiorum Heli loquatur Scriptura, quod erat *grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a Sacrificio Domini* (ibid. 17.) suis nempe rapinis, et incontinentiis; Verborum, quae nobis obiiciunt adversarii, hic sensus est; scilicet, si unicum cesset remedium ad peccata remittenda a Deo institutum, quod est sacrificium, quanam ratione peccatorum venia impetrabitur? Veluti quum aliquis ei, qui Poenitentiae sacramentum, unicum scilicet medium ad peccatorum remissionem obtinendam post Baptismum, omnino reiiciat, diceret: » Si quodvis peccatum patrares, tibi ignosceret Dominus; si autem in eo pecces, quod Sacramentum hoc tollas, quomodo peccati veniam obtinebis, quum nullum aliud suppetat instrumentum a Deo institutum ad peccata condonanda? » Igitur Scripturae sententia ab adversariis obiecta, non probat aliqua dari peccata, quae nulla ratione remitti

possunt; sed potius omnia peccata remitti Poenitentiae sacramento, quo unico sublato remedio peccatis remittendis a Deo praescripto, nullum peccatum remitti potest.

Obiic. II. *Omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo; neque in futuro.* Matth. XII. 31. 32. Aliquod ergo peccatum, ut blasphemia in Spiritum Sanctum, nullam remissionem obtinet.

Respondet primo S. Augustinus, blasphemiam in Spiritum Sanctum nihil aliud esse, quam *impoenitentiam finalem;* sic namque loquitur: *Ipsa ergo impoenitentia est Spiritus blasphemia, quae non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Contra Spiritum enim Sanctum, quo baptizantur, quorum peccata omnia dimittuntur, et quem accepit Ecclesia, ut cui dimiserit peccata, dimittantur ei, ver-*

bum valde malum, et nimis impium, sive cogitatione, sive etiam lingua dicit, quem patientia Dei, quum ad poenitentiam adducat, ipse secundum duritiam cordis sui, et cor impoenitens thesaurizat sibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius........ haec omnino impoenitentia non habet remissionem, neque in hoc saeculo, neque in futuro: quia poenitentia impetrat remissionem in hoc saeculo, quae valeat in futuro. Serm. LXXI. de verbis Evang. Matth. n. 20. Igitur secundum S. Augustini interpretationem Salvator illa sententia non pronuntiat aliquod esse peccatum, quod per Poenitentiam remitti non possit; sed nullum sine Poenitentia remitti peccatum.

Respondent secundo alii Patres, blasphemiam in Spiritum Sanctum manifestae veritatis impugnationem intelligendam esse, eamque tam grave esse peccatum, ut non sine magna difficultate remittatur: tum quia peccatum hoc gratiam maxime impedit;

tum quia impietati amplissimam aperit viam; tum quia non ex ignorantiae tenebris, aut corruptae naturae infirmitate, sed ex mera malitia oritur. Nimirum blasphemia in Spiritum Sanctum, ita interpretatur S. Hieronymus, ea est, per quam, *qui manifeste intelligens opera Dei, cum non possit virtutem Dei negare, eadem stimulatus invidia calumniatur; et Christum, et opera Spiritus Sancti dicit esse Beelzebub.* In Cap. XII. Matth. Quae sane interpretatio contextui Evangelico perbelle quadrat.

Non vero absolute fieri non posse eius peccati remissionem, sed moraliter tantum, idest esse difficillimam, animadvertit Chrysostomus his verbis: *Blasphemia autem Spiritus non remittitur ne poenitentibus quidem. Et qua ratione stare possit illud? Nam et hoc peccatum poenitentibus remissum fuit. Multi enim eorum qui talia dixerunt, postea crediderunt, omniaque ipsis remissa sunt. Quid igitur hic significat cum dicit, hoc peccatum prae omnibus venia carere? Qua de causa? Quia quis esset*

Christus, ignorabant: Spiritus vero congruentem iam notitiam acceperant. Siquidem per eum Prophetae loquebantur, et in veteri lege omnes multa de ipso acceperant documenta. Homil. XLII. in Matth. Quod demum *impossibile* dicatur in scripturis id quod difficillime contingit, illa Christi sententia praeter ceteras aperte probat: *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum. ..... Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt* Matth. XIX. 24. 26. (1).

Obiic. III. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis.* I. Ioan. V. 16.

Resp. In hanc Ioannis sententiam eadem

(1) Quot, et quae sint peccati in Spiritum Sanctum species, et qua ratione huiusmodi peccatum non remitti dicatur, vide etiam apud S. Thomam 2. 2. quaest. XIV. art. I. II. III.

animadvertunt Patres, quae in praecedentibus Scripturae sententiis explicandis iam commemoravimus. Observat enim S. Ambrosius Ioannem non omnino excludere deprecatorem, sed potius difficultatem eiusmodi virum inveniendi, qui pro tali peccato deprecetur, significare. Lib. I. de Poenit. Cap. X. Notat deinde S. Augustinus peccatum ad mortem esse peccatoris obstinationem, et pervicaciam, seu *finalem impoenitentiam*, ut appellant, quod Iudae exemplo probat. Lib. I. de Serm. Domini in mont. Cap. XXII. S. Augustino concinit S. Pacianus, qui illa Ioannis verba *ad peccata manentia pertinere, non ad eos, qui aliquando peccaverint, et coeperint poenitere, antequam quisquam pro illis roget*, animadvertit: quapropter non peccatum a peccato, sed peccatorem animo obduratum a peccatore, qui iam resipiscere incipiat, distinguit. S. Hieronymus denique obiecto Ioannis testimonio non *impossibilem* significari, sed difficillimam pro peccato ad mortem veniae impetrationem considerat. *Cernis*, inquit, *quod si pro pec-*

catis minoribus deprecemur, impetremus veniam; si pro maioribus, difficilis impetratio sit. Lib. II. adver. Iovinian. n. 30.

PROPOSITIO III.

Ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiruntur tres actus in poenitente, quasi materia Sacramenti Poenitentiae, videlicet Contritio, Confessio, Satisfactio, quae tres Poenitentiae partes dicuntur.

Prob. I. Scripturis, quae sine contritione nunquam obtineri peccatorum remissionem docent. Hebraeos enim a Deo defecturos per idololatriae crimen praedicens Moses, sic eos ad peccati remissionem obtinendam a Deo hortatur: *Quumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae.* Deut. IV. 29. David vero peccati sui poenitens sic Deum alloquitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor*

contritum, et humiliatum Deus non despicies. Psalm. L. 19. Apostolus demum sic Corinthiis scribit: *Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum...... quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* II. Cor. VII. 9. 10. Quod autem cordis contritioni peccatorum confessio adiungenda sit ex praecepto divino, mox in Prop. V. demonstrabimus. Denique de satisfactionis necessitate loquuntur haec Scripturarum testimonia: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu.* Ioel. II. 12. *Convenerunt filii Israël in ieiunio, et in saccis, et humus super eos.... et confitebantur peccata sua.* II. Esdr. IX. 1. 2. *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Daniel. IV. 24. *Facite fructus dignos poenitentiae.* Luc. III. 8.

Prob. II. Patribus: *Confiteantur singuli,* sic scribit S. Cyprianus, *quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc*

qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, et poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. . . . . . Iram et offensam eius ieiuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus. Lib. de Lapsis. *Perfecta poenitentia,* sic S. Ioan. Chrysost., *cogit poenitentem omnia libenter ferre; in corde eius contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas: ut quibus modis Deum offendimus, corde, ore, opere, iisdem reconciliemur Deo; corde quidem per contritionem, ore per confessionem, ac opere per satisfactionem.* Serm. de Poenit. *Qui agit poenitentiam,* sic S. Ambrosius, *non solum diluere lacrymis debet peccatum suum; sed etiam emendatioribus factis operire, et tegere delicta superiora.* Lib. II. de Poen. Cap. V. n. 35. Et paullo post: *Si vis iustificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda Confessio pec-*

catorum. ibid. cap. VI. n. 40. *Implicatus tam mortiferorum vinculis peccatorum*, sic demum S. Augustinus, *detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiae, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in Coelo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri...... Iudicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius; ne quum iam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino iudicetur. Et quum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur; et tamquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum.* Ser. CCCLI. de Poenit. Et alibi: *Sanat humiliatos corde, sanat confitentes, sanat*

seipsos punientes, in se severum iudicium exercentes, ut possint esse illius misericordiam sentientes. Enarrat. in Psal. CXLVI. n. 6.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim declaravit Eugenius IV. *Quartum Sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio. . . . . Secunda est oris Confessio. . . . . . . Tertia est satisfactio pro peccatis.* Decr. pro Instruct. Arm. Concilium denique Tridentinum ita definivit: *Si quis negaverit ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis, sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.* Sess. XIV. Can. IV.

Propositio IV.

Dolor ille, qui Contritio *appellatur, verus et utilis, liber, et voluntarius est. Item Gehennae metus, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, bonus est, et utilis.*

Prob. I. Scripturis, quae animi dolorem, seu cordis contritionem Deo placere testantur. Legimus enim. *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde,* συντετριμμένοις τὴν καρδίαν, *contritis corde*, ut legunt LXX Interpretes, *et humiles spiritu salvabit* Psal. XXXIII. 19. Cui testimonio prorsus concors est aliud eiusdem Davidis supra allatum, nempe: *Cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.* Confirmat Isaias, ubi Dominum ista verba facientem deprehendimus: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos.* LXVI. 2. Porro dolorem ipsum praecipit Deus dicens: *Scindite*

corda vestrà. Ioel. II. 13. Quod si contritio Deo placet, et a Deo ipso praescribitur, verus et utilis dolor est, nec non liber, et voluntarius. Praeterea bonum, et utilem esse Gehennae timorem, quo perterriti peccata detestamur, hae scripturarum sententiae comprobant: *Deum time, et mandata eius observa*. Eccle. XII. 13. *In tota anima tua time Dominum*. Eccli VII. 31. *Timete Dominum omnes Sancti eius*. Psal. XXXIII. 10. *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in Gehennam; ita dico vobis hunc timete*. Luc. XII. 5.

Probatur II. Traditione, cuius plura testimonia iam retulimus in praecedenti propositione; sed illis haec etiam addere iuvabit: *Si quem de tuis carum*, sic peccatorem nulla animi contritione affectum arguit S. Cyprianus, *mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, et fleres, facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto indicia moeroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti; spiritaliter mortua supervivere hic tibi, et*

ipsă ambulans funus tuum portare coepisti: et non acriter plangis, non iugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis? Et paullo post*: Agite poenitentiam plenam, dolentis, ac lamentantis animi probate moestitiam.* Lib. de Lapsis. *Compunctio sanitas animae est*, sic loquitur S. Ephrem Syrus, *illuminatio mentis est: compunctio remissionem delictorum nobis acquirit: compunctio Iesum unigenitum facit in nobis habitare.* Lib. de extr. Iud. Cap. V. His concinit Chrysostomus: *Lugendum est, et flendum, et per totam vitam plangendum, ut vel sic occupata in luctu, et lacrymis anima erubescat peccare. Denique lugentes pro carorum suorum amissione interrogemus. Si quando aut unicum pater filium, aut uxor ereptum cito plangit maritum, quomodo velut fulmine quodam icta anima contremiscit, et in stuporem vertitur? aufugiunt continuo, nec usquam apparent omnes illae molles, et dissolutae deliciae:.....Una sola cogitatio lugenti, unus intuitus imago defuncti est ...., sic*

oportebat et nos salutem nostram lugere perditam, atque animam nostram mortuam lamentari. Exhibeamus animae nostrae, quod illi exhibent carni alienae. An non extremae miseriae est, ut hi quidem qui filios, aut uxores lugent, ad nihil aliud occupent, nisi ut defunctos suos quasi intueantur; nos vero, quibus salus mortua, et Regni Coelorum spes extincta est, omnia magis, quam illa cogitemus. Lib. I. de Compunct. Concludit demum Augustinus, qui exponens illa verba Psalmi: *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum,* ita inquit: *Qui cor non conterunt, non sanantur ..... Sanaberis ergo, corde contrito sanaberis. Noli erubescere, contere cor, tales sanat Deus.* Enarrat. in psal. CXLVI. n. 5. 6.

De gehennae vero timore ita loquuntur Patres, ut eum bonum, ac utilem esse aperte ostendant. Sic enim scribit Tertullianus: *Si de Exomologesi retractas, Gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguit: et poenae magnitudinem prius imaginare, ut de remedii adeptione non*

dubites. Lib. de Poenit. Item Clemens Alexandrinus: *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, et spes, et Poenitentia.* Et paullo post: *Qui timorem damnant, ii legem etiam insectantur; quod si legem, clarum est, quod et eum, qui legem tulit,* Lib. II. Stromatum. Nec non S. Hieronymus: *Vult,* inquit, *primum Deus ut filii eius simus, et bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltem nos servos habeat, et a malis per suppliciorum formidinem recedamus, ..., ut de timore servorum ad gloriam filiorum transeamus.* In Cap. I. Malach. Et alibi: *Ut qui pudore, vel verecundia non tenentur, agant poenitentiam saltem comminatione poenae.* In Cap. II. Mich. Quibus addendus Ioannes Chrysostomus. *Hoc solum est quod exposcitur a nobis, ut semper recordemur, et ad animum revocemus mala nostra, ut pro eis supplicemus Deo, ut gehennam ponamus ob oculos, et Angelos qui in die iudicii ubique discurrunt, et congregant de omni orbe terrarum eos, qui mittendi sunt in*

gehennam ac suppliciis tradendi. Ponamus etiam ob oculos quanti doloris est excludi ac proiici a Regno Coelorum, quod gravius est ipsa gehenna. Lib. I. de Compunct. S. Augustinus denique illa verba Psalmi: *Beati omnes qui timent Dominum,* explicans ait: *Ille timor nondum castus praesentiam Domini, et poenas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est.* In Psal. CXXVII. Et alibi: *Stimulat timor, sed noli timere, intrat caritas, quae sanat quod vulnerat timor; timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, opus est ergo ut intret timor primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas.* Tract. IX. in Epist. Ioan.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Nam ita definivit Tridentinum: *Si quis dixerit eam Contritionem, quae paratur per*

discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum, et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, et non liberum, ac voluntarium; anathema sit. Sess. XIV. Can. V. Quod vero ad gehennae timorem adtinet, ita idem Concilium decrevit: *Si quis dixerit gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Sess. VI. de Iustificatione Can. VIII.

PROPOSITIO V.

Sacramentalis Confessio *iure Divino est instituta, et ad salutem necessaria. Haec ipsa Confessio impossibilis non est, nec est traditio humana a piis abolenda; atque ad eam tenentur omnes et singuli utriusque sexus Christi fideles, iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno.*

Prob. Quod ad primam partem I. Scripturis. Illis namque verbis, quibus Apostolis *ligandi*, atque *solvendi; remittendi*, ac *retinendi* potestatem reliquit Christus, eos iudices constituit: siquidem ius sententiam vel remissionis, vel retentionis pronuntiandi concessit. Atqui sententiam pronuntiare non potest iudex, nisi causam cognitam, perspectamque habeat. Causam igitur exponat oportet poenitens, ut ea considerata, sententiam dicant a Christo constituti iudices. Praeterea eisdem Christi verbis poenas, quibus Divinae iustitiae faciat satis peccator,

imponendi facultatem acceperunt Apostoli, ut in VIII. Propositione demonstrabimus. Atqui poena numero, et gravitati culparum respondere debet. Culpas igitur manifestet necesse est peccator, quod quidem Sacramentali Confessione fit.

Prob. II. Patribus. Scribit enim apertissime S. Cyprianus: *Denique quanto et fide maiores, et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, et simpliciter confitentes, Exomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, et modicis vulneribus exquirunt.* Lib. de Lapsis. Nec minus aperte Origenes: *Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per poenitentiam remissio peccatorum, quum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymae suae panes die ac nocte; et quum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quaerere medicinam, se-*

cundum eum, qui ait: Dixi pronuntiabo adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei. Homil. II. in Levit. n. 4. Eadem evidentia. S. Basilius: *Omnino*, ait, *in peccatorum confessione eadem ratio est, quae in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem qua ea curanda sint teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea possint curare*, scilicet Sacerdotibus, ut paullo ante clarius adfirmat his verbis: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est.* In Regulis brevioribus, Respons. ad interrogat. 228, et 229. De S. autem Ambrosio, narrat Paulinus: *Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et flere illum compelleret. Videbatur enim sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat loquebatur.*

In vita n. 59. Ipse Ambrosius: *An quisquam ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? Et pudeat te Deo supplicare, quem non lates; quum non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri?* Lib. II. de Poenit. Cap. X. S. Gregor. Nyssenus vero ita loquitur: *Audacter ostende illi* (Sacerdoti) *quae sunt recondita, animi arcana tamquam occulta vulnera medico retege: ipse et honoris, et valetudinis tuae rationem habebit.* Orat. in mulierem peccatr. in fin. Item S. Pacianus: *Vos ergo*, inquit, *poenitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos: qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri: qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis...... Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos.*

In Paraenesi ad Poenit. Nec non S. Hieronymus: *Si quem serpens Diabolus occulte momorderit, et, nullo conscio, peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri, et magistro voluerit confiteri: magister qui habet linguam ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.* In Cap. X. Eccle. S. Augustinus denique: *Tristis esto antequam confitearis; confessus exulta, iam sanaberis. Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat.... confitere, exeat in confessione, et defluat omnis sanies, iam exulta, iam laetare; quod reliquum est facile sanabitur.* Enarrat. in Psal. LXVI. Serm. I. n. 7.

Probatur III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. In Concilio enim Lateranensi IV. annuae Confessionis praeceptum reperimus: *Omnis utriusque sexus fidelis*, inquit, *postquam ad annos discretionis pervenerit*,

omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti. Cap. XXI. Deinde inter articulos Ioannis Wicclessi a Concilio Constantiensi damnatos septimum habet locum hic, nempe: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, et inutilis.* Sess. VIII. Eugenius vero IV. in Conc. Florentino Confessionem Sacramenti Poenitentiae partem esse docet: *Secunda* (pars) *est oris confessio: ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Decret. pro Instr. Armen. Omnia demum complexus est Concilium Tridentinum his duobus Canonibus: *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.* Sess. XIV. Canon. VI. *Si quis dixerit,*

Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, et singulos utriusque sexus Christifideles, iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae; anathema sit. Ibid. Can. VIII.

Prob. IV. ratione Theologica, quae ad tria praecipue capita reduci potest. Primum scilicet Confessionis antiquitatem spectat. Quod enim in universa Ecclesia semper, et ab omnibus usitatum est, hoc certe quidem iure Divino est institutum. Talem vero esse sacramentalem Confessionem Patrum vel vetustissimorum testimonia evincunt. Alterum ad Confessionis difficultatem pertinet, quae tanta est, ut nisi eam Deus praecepisset, Ecclesia nunquam praescribere ausa fuisset, nec fideles ab ea eiusmodi legem facile accepissent. Quid enim gravius, quid homini molestius, quam ut singillatim peccata sua, etiam graviora, et verecundiora nulli, nisi Deo, ac sibi co-

gnita, et seria meditatione in memoriam revocanda alteri aperiat? Tertium denique Confessionis utilitatem respicit, quae adeo magna est, et homini, ne in peccata ruat, coercendo tam opportuna, ut nonnisi Deo auctore institui potuisse nemo in dubium revocaverit.

Quod ad secundam vero Propositionis partem attinet; iisdem Scripturae, ac Traditionis testimoniis comprobatur, et confirmatur. Si enim Sacramentalis Confessio iure Divino praecipitur, ut iam demonstravimus, nec *impossibilis*, nec traditio humana a piis abolenda dici omnino potest. Qua namque ratione traditio humana appellari potest, quae non ab homine, sed ab ipso Deo originem suam ducit? Quomodo a piis abolendum, quod Deus ipse praescripsit? Quomodo id fieri non potest, quod Deus faciendum imperavit?

Quod demum ad tertiam Propositionis partem, nimis apertum est Concilii Lateranensis praeceptum, cuius verba iam retulimus. Quis vero nescit in iis, quae ad Dei cul-

tum, animarumque salutem pertinent, Ecclesiae a Christo ius concessum leges ferendi? Sicut ergo Ecclesia, iure a Christo sibi concesso, revelatas veritates docet, ac explicat; sic Sacramentorum usum quod ad tempus, et alia eiusmodi determinat, ac praescribit. Sed potestatem legum in iis, quae ad Dei cultum, animarumque salutem spectant, ferendarum Ecclesiae a Christo datam in Tractatu de Locis iam ostendimus.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Calvinus Confessionis legem novam esse, et ante Concilii Lateranensis praeceptum prorsus ignotam. *Miror qua fronte,* sic loquitur more suo audacissimus Haereticus, *ausint contendere Confessionem, de qua loquuntur, iuris esse Divini, cuius equidem vetustissimum esse usum fatemur, sed quem facile possumus evincere, olim fuisse liberum. Certe nullam de ea statam fuisse legem, aut constitutionem, ante Innocentii III. tempora, eorum quoque*

annales narrant. Et infra: *Itaque ipsis testibus, nondum elapsi sunt anni trecenti, ex quo iniectus ab Innocentio III. laqueus, et imposita confitendi necessitas. Atque, ut de tempore taceam, sola verborum barbaries fidem legi abrogat. Nam quod iubent boni Patres, omnem utriusque sexus quotannis semel proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata; faceti homines lepide excipiunt, hoc praecepto teneri solos hermaphroditos, ad neminem vero spectare, qui sit vel mas, vel faemina.* Lib. III. Instit. Cap. IV. §. 7.

Resp. Multa coacervat Calvinus, ut solet, quae falsa omnino sunt. Primum enim ait Confessionis usum olim fuisse liberum; quum veteres, ex quorum testimoniis Calvinus ipse didicit peccatorum confessionem a primis usque saeculis in usu fuisse, illam, ut prorsus necessariam ad culparum remissionem obtinendam; ac peccatores, antequam propria peccata confiterentur, ab Eucharistia percipienda arcendos apertissime doceant. Deinde adserit ante Innocentii III. tempora

nullam fuisse legem, quae peccatorum confessionem praeciperet; quum Innocentius III. tempus Confessionis faciendae definiverit, non Confessionem ipsam praescripserit. Plura enim Concilia, quae Lateranense IV praecesserant, de Confessione loquuntur (1); nec tamen haec ipsa Concilia Confessionis legem ferunt, sed aut de silentio a Sacerdote servando, aut de aliis, quae ad Confessionem ipsam spectant, verba faciunt. Nullum ergo Concilium Confessionis legem tulit, sed eam in Ecclesia iam vigentem opportunis regulis confirmavit, ut magis magisque fidelium utilitati consuleret. Porro falsum est annales nostros narrare, nullam fuisse Confessionis legem ante Innocentium III.; solus namque Platina, qui vitas Pontificum privata auctoritate, et saepe a vero aberrans scripsit, non Confessionis legem ab Innocentio III. promulgatam, sed Zephyrini decretum de

(1) Harum Synodorum sententias vide apud Bellarminum de Poenit. Lib. III. Cap. V.

Eucharistia in Paschate recipienda, ad Confessionem ab Innocentio III. extensum refert. Atqui haec ipsa Scriptoris alioquin suspecti narratio Calvino adversatur. Sicut enim Zephyrini decretum Eucharistiam a Christo praeceptam non fuisse non probat; ita nec etiam Innocentii III. decretum Confessionem a Christo statutam non fuisse ostendit: sed qua ratione Zephyrinus Eucharistiae legem a Christo latam, eadem ratione, Innocentius III. Confessionis legem a Christo promulgatam quod ad tempus determinavit. Denique ad rem non facit verborum, quae in decreto adhibuit Innocentius III. barbaries. Esto enim, barbarae sint, quantum Calvino lubet, voces illae *utriusque sexus*; idcirco falsum erit Innocentii III. decretum? At barbaras fuisse voces illas ne dicere quidem possumus, quum ipsas non semel adhibuerit Hieronymus (1), quem certe barbarum Calvinus ipse non iudicaverit.

(1) Hieronymi sententias vide apud Bellarminum de Poenit. Lib. III. Cap. XIV.

Obiic. II. Calvinus. *Deinde luculenta testimonia extant tum in historiis, tum apud antiquos alios Scriptores, quae docent hanc fuisse politicam disciplinam ab Episcopis institutam, non legem a Christo, aut Apostolis positam. Unum dumtaxat e multis proferam, quod non obscurum eius rei documentum erit. Refert Sozomenus fuisse hanc Episcoporum constitutionem diligenter observatam in Ecclesiis Occidentalibus, praesertim vero Romae: quo significat non fuisse universale omnium Ecclesiarum institutum. Unum autem e Presbyteris peculiariter destinatum fuisse dicit, qui huic muneri praeesset: quo abunde confutat, quod isti de Clavibus, universo Sacerdotali ordini in hunc usum promiscue datis, mentiuntur, siquidem non omnium Sacerdotum communis erat functio, sed singulares unius partes, qui ad id electus ab Episcopo fuerat. Is est, quem hodie quoque in singulis Cathedralibus Ecclesiis Poenitentiarium vocant, graviorum criminum, et quorum censura ad exemplum pertinet, co-*

gnitor. Subiicit deinde, eum quoque morem Constantinopoli fuisse, donec matrona quaedam, confitentem simulans, ea specie consuetudinem, quam habebat cum Diacono, praetexuisse deprehensa esset. Ob id facinus Nectarius vir et sanctitate, et eruditione clarus, illius Ecclesiae Episcopus, confitendi ritum abrogavit. Hic aures asini isti arrigant. Si lex Dei erat auricularis Confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere, et convellere? Nectarium sanctum Dei hominem, omnibus veterum suffragiis probatum, haereseos, et schismatis accusabunt? Sed eodem calculo damnabunt Ecclesiam Constantinopolitanam, in qua confitendi morem, non ad tempus modo dissimulatum fuisse, sed ad suam usque memoriam obsolevisse, affirmat Sozomenus: immo non Constantinopolitanam, sed Orientales omnes Ecclesias, defectionis reas agant, quae inviolabilem, si verum dicunt, legem, et Christianis omnibus mandatam neglexerunt. Lib. III. Instit. Cap. IV. §. 7.

Resp. Heic etiam multa congerit Calvinus, quae omnino falsa sunt. Primo enim, cur ex tot luculentis testimoniis antiquorum Scriptorum unicum Sozomeni testimonium elegit, Scriptoris scilicet Graecae fidei, in cuius historia multa mendacia deprehenduntur, ut S. Gregorius Lib. VI. Ep. XXXI. testatur? At ne Sozomenus quidem ea narrat, quae impudentissime effingit Calvinus. Nam Sozomenus Confessionis necessitatem non negat, immo adstruit his verbis: *Quumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat* etc. Lib. VII. cap. XVI. Nec ait matronam illam confitentem simulasse, sed patratum crimen prodidisse. Deinde merum Calvini somnium est Sozomenum de Confessione peccatorum facienda generatim loqui, quum Sozomenus de sola Confessione publica, quae primum Sacerdotibus, *circumstante totius Ecclesiae multitudine*; deinde uni tantum, qui huic negotio praefectus fuit, fiebat. Ubinam vero confitendi ritum Nectarium abrogasse dicit Sozomenus? Nullibi certe; toto enim caelo differunt duo haec:

Nectarius .... Presbyterum, qui agendae poenitentiae praepositus erat, abolevit, ἐπαύσε *cessare fecit*, quod narrat Sozomenus; et Nectarius Confessionem abolevit, quod somniat Calvinus.

Propositio VI.

In Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum obtinendam necessarium est iure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habetur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant. Peccata vero venialia confiteri licet.

Prob. 1. pars I. iis Scripturarum testimoniis, quae in Prop. I. retulimus: ex quibus evidenter constat Apostolos a Christo facultatem accepisse ligandi, vel solvendi; item peccata remittendi, vel retinendi. Atqui di-

scerni nulla ratione potest quid ligandum sit, quid vero solvendum; nec non quae remittenda, quae autem retinenda, nisi peccatis, eorumque numero, et gravitate cognitis, ut in Prop. V. animadvertimus. Ergo omnia peccata, quorum meminit, manifestare debet peccator.

Prob. II. Patribus (1). Origenes enim illa Levitici V. 5. ex LXX. Interpr. *Si peccaverit unum ex istis, pronunciet peccatum, quod peccavit*, explicans, veritatem hanc apertissime ostendit his verbis: ***Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod iubet pronunciare peccatum.*** *Etenim omni genere pronuncianda sunt, et in publicum proferenda cuncta quae gerimus; si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri;*

(1) Nonnulla ex Patrum testimoniis, quae in praecedenti propositione citavimus, eandem veritatem confirmant. Sed ea rursus repetere supervacaneum.

proferri autem ab illo, qui et accusator peccati est, et incentor: ipse enim nunc nos ut peccemus instigat; ipse etiam cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita praeveniamus eum, et ipsi nostri accusatores sumus, nequitiam Diaboli inimici nostri, et accusatoris effugimus; sic enim et alibi Propheta dicit. Dic tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris. Homil. III. in Levit. n. 4. Quod autem Confessio non cuique, sed Sacerdoti facienda sit, clare adfirmat idem Origenes in sententia, quam in pag. 267 retulimus. Similiter S. Gregorius Nyssenus, quem de peccatorum Confessione Sacerdoti facienda sermonem habentem pag. 269 citavimus, de peccatis omnibus singillatim manifestandis ita loquitur: *Quemadmodum in corporali medela unum est quidem institutum medicinae, sanare eum qui laborat, varium autem est curationis genus (pro morborum enim varietate, convenienter quoque medicina, ac disciplina unicuique morbo applicatur); ita quam multa sit in morbo quoque animae affectionum varietas, multiformis quoque ne-*

cessario fuerit medica curatio , ad affectionis rationem medicinam exercens. In Epist. Canonica ad Episc. Mitylenens. Item S. Hieronymus : *Alligat , vel solvit Episcopus , et Presbyter. . . . . pro officio suo , quum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.* In Cap. XVI. Matth. Nec non S. Ioannes Chrysostomus : *Cuiusmodi est ,* ait , *medicamentum Poenitentiae , et quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione, et ex confessione. . . . Sin autem dicat, sum peccator, ea autem per species non cogitet, ac supputet , et non dicat hoc , et illud peccatum admisi, nunquam cessabit, semper quidem confitens , curam autem nullam gerens correctionis.* Homil. IX. ad Hebr. Denique S. Gregorius Magnus: *Causae pensandae sunt , et tunc ligandi , atque solvendi potestas exercenda : videndum est quae culpa praecessit , aut quae sit poenitentia secuta post culpam.* Homil. XXI. in Evangelia.

Probatur secunda pars. I. Scripturis. Cul-

parum enim venialium Confessio divinae Sacramenti Poenitentiae institutioni minime repugnat. Verba enim illa: *Quodcumque solveris: Quaecumque solveritis: Quorum remiseritis peccata;* generalia sunt, ideoque ad culpas omnes, seu lethales, seu veniales pertinent. Quum igitur divinae institutioni congruat venialium culparum confessio; culpas veniales confiteri licet.

Prob. II. Traditione. Tertullianus enim iam Montanista inter peccata, quorum remittendorum facultatem Ecclesiae concessam non negat, nonnulla venialia recenset. *Hic enim Ioannes* (I. Epist. I. 8. et seqq.) *commendavit*, en Tertulliani verba, *quod sint quaedam delicta quotidianae incursionis, quibus omnes sumus obiecti: cui enim non accidit, aut irasci inique, et ultra solis occasum, aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere iudicare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia, aut necessitate mentiri? in negotiis, in officiis, in quaestu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit*

venia illorum, nemini salus competat? De Pudicitia Cap. XIX. In hac ergo parte, per claves scilicet Ecclesiae a Christo datas, quaedam peccata vel venialia, vel minus gravia remitti posse Montanistae cum Catholicis consentiebant. Quamobrem a primis usque Ecclesiae saeculis culparum venialium confessionem licitam esse nemo in dubium revocavit.

Prob. III. Ratione Theologica. Nam semper in Ecclesia Poenitentiae Sacramentum frequentarunt vel ipsi iusti, qui certe quidem lethalium culparum expertes sunt. Igitur licitam esse venialium culparum confessionem crediderunt.

Prob. Utraque pars Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim declaravit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstan-*

tias, quae peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit. Can. VIII. Sess. XIV.

Propositio VII.

In Sacramento Poenitentiae tota poena simul cum culpa non semper remittitur a Deo.

Prob. I. Scripturis, quae non unum veritatis huius praebent exemplum; sed illud omnium praeclarissimum, quod in Davide habemus. Nimirum etsi patratum adulterii, et homicidii crimen illi remissum Deus ipse per Prophetam testatus fuerit; poenam tamen pro crimine eodem luendam denunciavit II. Reg. XII. 14. et seqq. Praeterea ex universo Populo Israel nullus, praeter Iosue, et Caleb in promissionis terram in-

gressus est, ob crimen, quod perpetrarunt, quum *murmurati sunt contra Moysen*, *et Aaron;* quod nihilominus crimen dimisit illis Deus, Moyse intercedente, ut Scriptura his verbis testatur: *Dixitque Dominus, dimisi iuxta verbum tuum..... Attamen omnes homines.... non videbunt terram, pro qua iuravi patribus eorum, nec quispiam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Num. XIV. 2, 20, 22, 23. Eadem poena mulctati sunt Moyses, et Aaron ob iniuriam Deo illatam, de qua Num. XX. 12, quibus tamen culpam remissam fuisse ex Scripturis constat.

Prob. II. Patribus. Ait enim Tertullianus: *Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Poenitentia nascitur, Poenitentia Deus mitigatur.* De Poenit. Cap. VIII. Deinde S. Cyprianus: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, et longa medicina non desit. Poenitentia crimine minor non sit. Orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere,*

tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare. Lib. de Lapsis. Concinit S. Pacianus, qui poenitentium pigritiam Sacrae Scripturae exemplis coarguens ait: *Nos vero quid tale, quid simile? Non dico illa quae congregamus ad cumulum, cauponando, mercando, rapiendo; foris lucra, intus libidines aucupando; nihil agendo simpliciter, nihil fratribus largiendo, nihil fratribus remittendo. Ne haec, quae videri etiam a sacerdote possunt, et Episcopo teste laudari: ne haec quidem quotidiana servamus; flere in conspectu Ecclesiae, perditam vitam sordida veste lugere, ieiunare, orare, provolvi. Si quis ad balneum vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: ista felicibus, ego deliqui in Dominum, et periclitor in aeternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum laesi? tenere praeterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare, quam pereas.* In Paraenesi ad Poenitentiam. Concludit Augustinus, qui verba illa

Psalmi L. *Veritatem dilexisti* exponens ait: *Id est impunita peccata etiam eorum, quibus ignosti, non reliquisti; sic misericordiam, praerogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia et veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.* n. 11. Et alibi: *Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere; nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat* Deo *per Poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Serm. CCCLI. n. 12.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim definivit Tridentina Synodus; *Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.* Sess. XIV. Can. XII.

Propositio VIII.

Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, contra finem clavium, et institutionem Christi non agunt.

Prob. I. Scripturis. Quum enim Petro claves regni Coelorum dedit Christus, Coelos claudendi, vel aperiendi eo modo, quo fidelium utilitati magis conveniret, facultatem concessit. Atqui ad spiritalem fidelium utilitatem pertinet, ut temporales poenas, quas etiam culpa remissa Divinae iustitiae debent, ut in praecedenti propositione demonstravimus, luant. Ergo satisfactio, quam Sacerdotes imponunt, clavium fini non adversatur. Praeterea tum Petro, tum ceteris Apostolis potestatem quaecumque alligandi, vel solvendi; item peccata remittendi, vel retinendi tribuit Christus. Quomodo igitur Sacerdotes huius facultatis vi solvere possunt poenitentes culpam remittendo, ita etiam ligare possunt satisfactionis opera praescribendo; eadem quoque ratione

possunt culpas remittere quod ad reatum, et poenam aeternam, retinere autem quod ad temporalem poenam attinet.

Prob. II. Patribus. S. Cyprianus enim de satisfactionis necessitate sermonem habens ait, Evangelio, et Christi legi adversari eos, qui, poenitentiae operibus peccatori non impositis, illum culparum veniam obtinere posse arbitrantur: *Contra Evangelii vigorem*, en ipsius verba, *contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Poenitentia de pectoribus excussa est, gravissimi, extremique delicti memoria sublata est.* Et paullo post: *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est.* Lib. de Lapsis. Eandem veritatem confirmat Romani Cleri testimonium sic ad S. Cyprianum scribentis: *Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos se-*

veritatis eversa fidei maiestate dissolvere; ut quum adhuc non tantum iaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinae, properata nimis remedia communicationum utique non profutura praestentur, et nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem maiorem eripiatur et poenitentia: Ubi enim poterit indulgentiae medicina proficere, si etiam ipse medicus intercepta poenitentia indulget periculis, si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere. Satisfactionis vero necessitatem fide ipsa doceri ostendunt, quae paullo ante leguntur: *Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, nec haec apud nos adversus improbos modo supervenerunt repentina subsidia; sed antiqua haec apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua.* Epist. II. Cleri Romani ad Cypr. inter S. Cypr. Epist. XXXI. Quemadmodum Romanus Clerus Sacerdotum facili-

tatem in satisfactione relaxanda carpit, ita etiam S. Ambrosius. Haec namque Psalmi verba explicans: *Miserere mei secundum eloquium tuum*, inquit: *In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma iustitiae; ne quis a Communionis consortio abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus Communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueant. Nonne quum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniae incentivum tribuit delinquendi.* Serm. VIII. in Psal. CXVIII. Denique de poena a Sacerdote ei, qui peccata sua confitetur, imponenda aperte loquitur S. Gregorius: *Afflictio poenitentiae ad delenda peccata tum demum idonea est, quum Sacerdotis fuerit iudicio imperata, quum ab eo, confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.* Lib. III. in I. Reg. Cap. VII. Cui concinit S. Leo: *Mediator Dei, et hominum homo Christus*

Iesus hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Epist. XCI. ad Theodorum.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Nunquam enim iis, qui post Baptismum in gravem culpam lapsi fuerint, peccatorum remissionem concessit Ecclesia, quin et poenas divinae iustitiae luendas imponeret, ut Canones omnes poenitentiales, et perpetua consuetudo in Poenitentiae Sacramento administrando servata evidentissime ostendunt. Praeterea Catholicam doctrinam confirmarunt tum Eugenius IV. in Concilio Florentino inter Sacramenti Poenitentiae partes Satisfactionem enumerans his verbis: *Tertia est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium Sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium, et eleemosynam.* Decret. pro Instruct. Armen. Tum Tridentina Synodus hoc Canone: ***Si quis dixerit, Claves Ecclesiae esse datas tantum ad sol-***

vendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem Clavium, et contra institutionem Christi; et fictionem esse quod, virtute Clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit. Sess. XIV. Can. XV.

Propositio IX.

Pro peccatis, quod ad poenam temporalem, Deo per Christi merita pietatis operibus fit satis. Eiusmodi autem opera sunt poenae a Deo inflictae, et a poenitente patienter toleratae, vel a Sacerdote iniunctae, vel sponte susceptae, ut ieiunia, orationes, eleemosynae, aliaque his similia.

Prob. I. Scripturis. Legimus enim : *Misericordia, et veritate redimitur iniquitas.* Prov. XVI. 6. *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Daniel. IV. 24. In quibus Scripturae sententiis verbum illud *redime, redimitur* notandum est. Quum namque Adversarii *satisfactionis* vocabulum horreant, quod nullibi inveniatur in Sacris Scripturis; allatae sententiae eos falsitatis omnino convincunt : siquidem vox *redemptio* eamdem vim et fortasse maiorem habet, quam satisfa-

ctio. Illud etiam animadvertendum, *peccatum* non raro in Scripturis vocari *peccati poenam*, ut exempli gratia Deut. V. 9. De pietatis vero operibus, quibus Deo propter peccata fit satis, vide Ion. Cap. ult. Iob. Cap. ult. II. Reg. XII. 16. III. Reg. XXI. 27. Tob. IV. 11.

Prob. II. Patribus. Ait enim Tertullianus: *Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem.* Lib. de Poenit. Cap. VII. Deinde Origenes: *Si quis* inquit, *forte huiusmodi pecuniam* (peccatum) *a Diabolo deceptus accepit, non usquequaque desperet, misericors enim, et miserator Dominus, et creaturae suae non vult mortem, sed ut convertatur, et vivat. Poenitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est.* Homil. VI. in Exod. Nec non S. Cyprianus contra eos, qui sine satisfactione poenitentes in communionem recipiebant, scribens: *Miserorum poenitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat.... .. Datur opera, ne satisfactionibus, et la-*

mentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Epist. LV. Et alibi: *Haec qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros; ut qui possunt agentes poenitentiam veram Deo patri, et misericordi precibus, et operibus suis satisfacere, seducantur, ut magis pereant.* Epist. IX. Item S. Basilius: *Attende tibi, ut pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandae subsidium. Magnum est, et grave peccatum? Multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso, et continenti ieiunio. Levis est, nec intoleranda offensio? Huic quoque exaequetur Poenitentia.* Orat. in illa verba *Attende tibi.* Insuper S. Ambrosius: *Grandi plagae alta, et prolixa opus est medicina: grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Ad Virg. Lapsam Cap. VIII. Et alibi: *Habemus*, ait, *plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est*

Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venumdatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Lib. de Helia, et ieiunio. Cap. XX. Porro S. Pacianus ita loquitur: *Obtestor, et deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quam primum remedia salutis invadere, deiicere moeroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare ieiunio, moerore conficere, multorum precibus adiuvari. In quantum poenae vestrae non parcitis, in tantum vobis Deus parcet.* In Paraenesi ad Poenit. circa fin. Praeterea S. Hieronymus illa verba Cap. I. Ioel. *Accingite vos, et plangite* explicans, sic loquitur: *Qui peccator est, et quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, et plangat vel propria delicta, vel populi, et ingrediatur in Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus: et cubet, vel dormiat in sacco; ut praeteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitae austeritate compenset.* Denique S. Augustinus: *In melius quippe*, ait, *est vita*

mutanda, et per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere, nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Enchirid. Cap. LXX.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim declaravit Eugenius IV. *Tertia est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium Sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium, et eleemosynam.* Decret. pro instruct. Arm. Concilium denique Tridentinum definivit: *Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.* Sess. XIV. Can. XIII. *Si quis dixerit satisfactiones,*

quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit. Can. XIV.

Obiecta diluuntur.

Obiicit I. Lutherus illa Scripturae verba: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ezech. XXXIII. 12. Deus ergo, sic concludit, nihil poenae ab impio ad se converso repetit.

Resp. Scripturae sententia de morte aeterna, non de poena temporali loquitur. Ibi enim impium post conversionem morte moriturum, aeque ac iustum post aversionem a Deo vita victurum, saepius negat. Quemadmodum igitur iusto non prodest ad vitam aeternam obtinendam iustitia, si ab ea per peccatum recesserit; ita impio ad aeternam poenam subeundam non nocet impie-

tas., si ab ea per iustitiam recesserit. Ita namque per Ezechielem Deus loquitur: *Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit; et impietas impii, non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Quod vero ita intelligenda sit haec Scripturae sententia, mirifice comprobant multa hominum exempla, qui etiam post culpae remissionem temporali poena a Deo affecti sunt, quae Scriptura ipsa exhibet, ut iam in VIII. prop. demonstranda animadvertimus. Porro dicere possumus in obiecta Scripturae sententia de perfecte ad Deum conversis agi, qui plena ac fervida caritate ita peccata detestantur, ut omnem et culpae, et poenae remissionem obtineant; hi autem rari admodum sunt. Quid vero quod temporalis poenae satisfactio nullo modo poenitenti nocet; immo valde prodest non solum ad futura peccata praecavenda, sed etiam ad meritorum thesaurum cumulandum?

Obiicit II. Lutherus Christi exemplum, qui in culpis remittendis mulieri adulterae, Mariae Magdalenae, aliisque nullam satisfactionem exegit.

Resp. I. Fieri potuit, ut caritatis fervore, et culpae, et cuiuslibet poenae remissionem mulieres illae obtinerent; quod etiam nunc fieri possé nos Catholici non negamus. Immo potuit Christus ipse tantam caritatem eis tribuere, ut omnem et culpae, et poenae remissionem mererentur; quod quidem praestitisse minime dubitandum videtur.

Resp. II. Potuit Christus *potestate excellentiae*, quae ipsius propria est, omnem poenam simul cum culpa remittere. At non possunt Sacerdotes, qui, quum sint ministri tantum, ea lege Sacramenta ministrare debent, quam Christus statuit.

Obiic. III. Lutherus his verbis: *Satisfactionem negavi, quam ipsi docent, quod mihi non erit difficile probare. Ostendant si possunt, ubi in tota Scriptura unus apex, aut iota scribatur, pro peccato mortali uno debere satisfieri septem annis: dicant, ubi pro differentibus peccatis differentes poenas statuat Christus, et Apostoli. Nonne haec omnia sunt postea inventa ab Episcopis? immo dent unum ex antiquis Pa-*

tribus , in quo legantur quadragenae, septenae , et similia. Ubi fecerint, libens revocabo. In assertione Artic. V.

Resp. Satisfactionis necessitatem, non vero mensuram temporis in satisfaciendo impendendi, Scripturarum, Patrumque testimoniis comprobavimus. Quid igitur interest, Scripturas, ac Patres satisfaciendi tempus non determinasse, modo satisfactionis necessitatem evidenter ostenderint? Sed falsum omnino est nihil in Scriptura, et Patribus de tempore reperiri. Legimus enim peccati poenam a Deo propositam Davidi his verbis: *Trium tibi datur optio.... aut septem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* II. Reg. XXIV, 12. 13. Quod autem ad Patres attinet, non unum, vel duos, sed plurimos Patres in Concilia convenientes poenarum tempus, et modum a primis usque saeculis statuisse novimus. Vide Concil. Ancyrani Can. VIII. et Nicaeni. I. Can. XI. et XII.

Propositio X.

Absolutio Sacramentalis est iudicialis actus non nudum ministerium declarandi remissionem peccatorum fide obtentam.

Prob. I. Iisdem Scripturarum sententiis, quas in prima Propositione citavimus. Qui enim claves habet, ianuam aperire, et claudere certe quidem potest; siquidem eiusmodi est clavium usus, tum ex propria natura, tum ex communi hominum opinione, qui ad potestatem alicui super ceteros collatam ostendendam claves tradere solent. Ridicula porro est Adversariorum interpretatio. Quid namque significat clavium traditio, quum fores, etiam sine clavibus, alia via aperiuntur, vel clauduntur? Quum igitur Christus Petro claves tradidit, veram ac propriam iudicandi potestatem illi concessit, eiusdem scilicet potestatis, qua ipse praeditus erat, participem fecit. De Christo namque legimus: *Qui habet clavem David; qui aperit,*

et nemo claudit; *claudit*, *et nemo aperit.* Apoc. III. 7. Eamdem veritatem confirmant ligandi, ac solvendi, remittendi, ac retinendi voces, quibus usus est Christus, ut in Prop. V. demonstranda notavimus.

Prob. II. Patribus, quorum nonnulla testimonia in eadem Prop. retulimus. Sed illis haec, quae sequuntur, addere iuvabit. Quid enim hac Chrysostomi sententia evidentius dici poterat? *Corporis lepram purgare, seu verius dicam haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudaeorum Sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanto cum studio, et concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animae sordes, non dico purgatas probare; sed purgare prorsus concessum est.* De Sacerdotio Lib. III. n. 6. Nec minori evidentia loquitur Nazianzenus, qui Episcoporum potestatem ipsa potestate Regum maiorem esse adfirmat: *Ipsa,* ait, *Christi lex, vos quoque Praesides, meo imperio, tum solio su-*

biicit; nam et nos cum potestate sumus, addam etiam ampliore, perfectioreque. In orat. ad cives. Evidentissime quoque id comprobant Hieronymus, et Augustinus, quorum alter inquit: *Absit ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus, qui claves regni Coelorum habentes, quodammodo ante diem iudicii iudicant.* Epist. ad Heliodorum exhortatoria. Alter vero, illa Apocalypsis verba: *Et vidi sedes, et sedentes super eas, et iudicium datum est* explicans; sic loquitur: *Non hoc putandum est de ultimo iudicio dici, sed sedes Praepositorum, et ipsi Praepositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est:* Quae ligaveritis in terra. *Unde Apostolus:* quid enim mihi est, *inquit*, de his, qui foris sunt iudicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? Lib. XX. de Civit. Dei Cap. IX. n. 2.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim definivit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit* Sess. XIV. Can. IX.

Prob. IV. Ratione Theologica. Nam primo, si Sacramentalis absolutio nihil aliud esset, nisi declaratio remissionis, quam peccator fide iam obtinuit; etiam sine Sacerdote possent Deo reconciliari peccatores. Atqui hoc apertissime negant Patres, quorum pleraque testimonia iam citavimus. Sed S. Augustinum audire praestat, qui de morti proximis sic loquitur: *An non cogitamus, quum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni aetate con-*

cursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem, et sacramentorùm confectionem, et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Epist. CCXXVIII. ad Honoratum. n. 8. Deinde si absolutio non aliud esset, quam remissionis renunciatio; ridicule quidem absolverentur surdi, et ii quibus vis morbi sensuum usum eripuit. Atqui hos etiam absolutionis capaces reputavit antiquitas, ut constat ex Augustino Lib. I. de adulterinis coniugiis. Cap. ult; et S. Leone Epist. XCI. ad Theodorum; et Concil. Carthag. IV. Can. LXXVI; et Arausicano Can. XII. Praeterea ex Adversariorum doctrina consequeretur absolvere posse etiam Laicos, immo faeminas, et pueros; vel psittacum quoque, si ad pronuncianda absolutionis verba illum adsuefacias; quod omnino ridiculum, et absurdum esse nemo non videt. Demum si sola fides, ut Adversarii contendunt, ad peccato-

rum remissionem obtinendam adeo est sufficiens, ut fidelem hominem de iustificatione *infallibiliter* certum faciat; Sacerdotis absolutio superflua est prorsus, ac vana.

Propositio XI.

Soli Sacerdotes iurisdictionis potestate praediti sunt Sacramenti Poenitentiae ministri.

Prob. I. Scripturis. Apostolis enim tantum, quibus praeter Sacerdotalem dignitatem ius quoque gregem suum pascendi, quod *iurisdictionem* appellamus, peccatorum remittendorum facultatem dedit Christus; ut ex testimoniis saepe citatis patet. Ergo Episcopi, qui Apostolis succedunt, et Sacerdotes, quibus Episcopi iurisdictionem communicant, sunt Sacramenti Poenitentiae ministri.

Prob. II. Patribus, quorum plura testimonia in praecedentibus Propositionibus iam retulimns. His adde S. Ambrosium, qui remittendorum peccatorum potestatem Catho-

licae Ecclesiae ideo propriam esse adfirmat, quod in ea verum Sacerdotium a Christo institutum existat. *Recte hoc*, inquit, *Ecclesia vindicat, quae veros Sacerdotes habet; haeresis vindicare non potest, quae Sacerdotes veros non habet.* Lib. I. de Poenit. Cap. II.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim in Concilio Florentino definivit Eugenius IV. *Minister huius Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Decret. pro Instruct. Armen. Postea Tridentinum: *Si quis dixerit. Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo; et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta*

sunt : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata ; publica quidem per correptionem dumtaxat , si correptus acquieverit ; secreta vero per spontaneam confessionem ; anathema sit. Sess. XIV. Can. X.

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. Verba illa Iacobi : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* V. 16. Ergo etiam laici sunt Poenitentiae ministri.

Resp. Verba Iacobi de ea confessione , qua generatim nos peccatores esse dicimus, humilitatis ac mutuae caritatis exercendae causa , non de Sacramentali Confessione , intelligenda sunt , ut constans Patrum traditio comprobat. Hanc vero generalem confessionem in Liturgia , et in Officio peragit Ecclesia.

Obiic. II. Peccatorum confessionem Diaconis etiam fieri posse legimus in Cypriano. Ubi enim mors immineat , et desit Presbyter , hoc lapsis praecipit S. Episcopus , ut

nempe Diaconis peccata sua confiteantur. *Si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, inquit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possunt; ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres, litteris ad nos factis, desideraverunt.* Epist. XII.

Resp. Non de Sacramentali Confessione, sed de reconciliatione ceremoniali loquitur S. Cyprianus. Hanc autem obtineri potuisse etiam per Diaconum non negamus, ii scilicet, qui ab Ecclesiastica communione ob aliquod crimen separati fuerant, si in extremo vitae periculo versarentur, et Presbyter deesset, modo se reos esse confiterentur, atque ita peccatorum suorum dolorem ostenderent; non peccatorum remissionem, quam contritione, et absolutionis desiderio consequebantur, sed Ecclesiasticam communionem, ac deinde Eucharistiam per Diaconum recipiebant: hoc vero Propositioni iam demonstratae nulla ratione contradicit, ut quisque videt.

Digitized by Google

Propositio XII.

Summus Pontifex in tota Ecclesia, et Episcopi in sua dioecesi habent ius reservandi sibi casus, ita ut ab illis sine speciali iurisdictione inferiores Poenitentiae ministri absolvere non possint.

Prob. I. Scripturis. Quum enim Christus Petrum totius Ecclesiae caput constituens claves regni Coelorum, ac facultatem quodcumque solvendi, et ligandi illi dederit, ac deinde eandem ligandi ac solvendi facultatem Apostolis omnibus tribuerit; aperte ostendit aliquid amplius Petro prae ceteris Apostolis etiam hac in parte concessisse, ut scilicet quorumdam peccatorum remissionem, ubi id universalis Ecclesiae utilitati convenire iudicaret, sibi posset reservare. Quum vero Sacerdotes ab Episcopis Apostolorum successoribus *iurisdictionem* poenitentiae ministro necessariam, ut ostendimus, accipiant; posse Episcopos quorumdam peccatorum re-

missionem, prout commissi sibi gregis utilitati (1) congruere censent, sibi reservare patet.

Prob. II. Traditione. Nam semper in Ecclesia mos servatus fuit, ut modum facultatis huius, quae ad peccata remittenda spectat, exercendae, pro tota Ecclesia Summus Pontifex, pro singulis vero Ecclesiis singuli Episcopi praescriberent.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim declaravit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.* Sess. XIV. Can. XI.

(1) Non minimum utilitatis affert *casuum reservatio.* Per illam namque maiori horrore fideles afficiunt gravissima quaedam scelera, ut ab iis facilius se abstineant, et si perpetrarint, severiori, ac diuturniori poenitentia deplorent; atque Pastoribus amplior aperitur via perniciosiora quaeque crimina extirpandi.

Caput IV.

Ex Catholica doctrina Corollaria deducuntur.

Catholica doctrina circa Poenitentiae Sacramentum iam exposita, ac demonstrata; Corollariis ex ipsa deducendis locus datur.

Corollarium I.

Ex prima Propositione differentiam, quae inter Poenitentiae *virtutem*, et *Sacramentum* intercedit, deducimus. Poenitentiae enim virtus in peccatis deplorandis, ac per pia opera puniendis tota consistit. Sacramentum vero, non haec solum, sed peccatorum confessionem, ac Sacerdotis absolutionem complectitur. Deinde *fuit quidem Poenitentia*, virtus nempe, *universis hominibus*, ut ait Tridentina Synodus, *qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, et iustitiam assequendam necessaria, illis*

etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut, perversitate abiecta, et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur. Sess. XIV. Cap. I. Poenitentiae vero *Sacramentum* a Christo pro baptizatis tantum peccatoribus institutum fuit. Demum Poenitentiae *virtus* peccatorum remissionem ex *opere operantis* dabat; *Sacramentum* vero dat *ex opere operato*.

Corollarium II.

Argumentis, quibus Propositionem tertiam comprobavimus, duplex error refutatur: alter scilicet Lutheri, qui *terrores conscientiae incussos, et fidem ex Evangelio, vel absolutione conceptam* Poenitentiae partes constituebat: alter vero Calvini, et Bezae, qui *mortificationem*, qua scilicet cupiditates cohibemus, et *vivificationem*, qua virtutum amore incendimur, Poenitentiae partes definiebant. Quod enim ad primum errorem adtinet, timor, et Fides ad

Poenitentiam quidem disponunt, ut docet Tridentina Synodus Sess. VI. de Iustificat. Cap. VI. sed Poenitentiam ipsam non constituunt; siquidem multos etiam fide praeditos, et Divinae iustitiae timore perterritos, peccatorum tamen non poenitet. Quod autem ad alterum errorem pertinet, *mortificatio*, et *vivificatio*, Calvini, et Bezae sensu, quem innuimus, sunt potius Poenitentiae fructus, quam ipsa Poenitentia: ex ipsa namque adversariorum sententia iustificationem consequuntur *mortificatio*, et *vivificatio*, at iustificationem praecedit Poenitentia.

Corollarium III.

Ex quarta Propositione duplicem esse doloris, seu contritionis speciem, perfectam alteram, alteram vero imperfectam deducere licet. De utriusque natura, ac effectu Tridentinam Synodum audire praestat. *Docet praeterea*, en eius verba, *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam*

hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae; declarat non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Sess. XIV. Cap. IV.

Corollarium IV.

Scripturarum, Patrumque testimonia, quibus quintam, et sextam Propositionem confirmavimus, plura ostendunt.

§. I. Ac primum praeceptam non esse publicam peccatorum confessionem, nec divina Sacramenti Poenitentiae institutione, nec ulla Ecclesiae lege, sed arcanam, seu auricularem, quae etiam Sacramentalis appellatur, patet. Quod enim ad divinam institutionem attinet, quum Christus Sacerdotes iudices constituerit, ideoque ius peccata cognoscendi illis concesserit, ut demonstravimus; huic cognitioni sufficit quidem secreta, et arcana peccatorum manifestatio. Quod vero ad Ecclesiasticam legem, nullum Canonem reperimus, quo Ecclesia publicam peccatorum confessionem imperaverit: immo consuetudinem peccata omnia publice manifestandi, ubi innotuit, abolitam fuisse legimus. Nimirum sic scribit S. Leo magnus: *Quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, qui poeniten-*

tiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Epist. CXL. Cap. II. Viguit tamen vetustioribus Ecclesiae saeculis, non omnia, sed quaedam crimina tantum publice confitendi consuetudo. Ad eam enim spectare videtur Tertullianus, ubi contra falsam poenitentium verecundiam scribens, inter alia haec dicit: *Ceterum inter fratres, atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi domino, et patre) quid tuos aliud quam te opinaris? quid consortes casuum tuorum, ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere, condoleat universum, et ad remedium conlaboret, necesse est. In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus.* Lib. de Poenit. Cap. X. De eadem loquitur S. Irenaeus, qui de mulierculis a Valenti-

nianis, et a Marco haeretico corruptis narrat: *Multae saepe... post conversae mulieres ad Ecclesiam Dei cum reliquo errore, et hoc confessae sunt.* Lib. I. Cap. VI. Et alibi: *Hae saepissime conversae ad Ecclesiam Dei, confessae sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo, velut cupidine, et inflammatas valde illum se dilexisse* ibid. Cap. XIII. Eandem comprobat etiam S. Ambrosius: *An testes precationis, et conscios refugis, quum si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres, ut dignentur intervenire, ad genua te ipse prosternas? ..... Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctae plebis requiras; ubi nihil est, quod pudori esse debeat, nisi non fateri, quum omnes simus peccatores, ubi ille laudabilior, qui humilior.* Lib. II. de Poenit. Cap X. Animadvertendum tamen est, ubi de peccatis occultis ageretur, eos qui ipsa perpetrassent publicae Poenitentiae non subiecisse, nisi quum Sacerdos, cui in Sacramen-

tali Confessione illa aperuissent, hoc et poenitenti, et toti Ecclesiae expedire censuisset. Nimirum id ex Origene, et S. Augustino sine ulla difficultate colligimus. Scribit namque primus: *Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas caussam languoris exponere..... Si intellexerit, et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat, et curari; ex quo fortassis, et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari: multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est.* Homil. II. in Psal. XXXVII. n. 6. Alter vero: *A Praepositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus, et supplex id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum: ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae vi-*

detur Antistiti, in notitiam multorum, vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset, non resistat. Serm. CCCLI. Cap. IV.

§. II. Deinde peccatorum confessionem fideliter, et integre faciendam. De confessionis proprietatibus legendus S. Bernardus, qui eas sic explicat: *Debet esse vera, nuda, et propria; veritatem quaerit Altissimus.. ... novimus plerosque, et experti sumus, qui ad Confessionis gratiam venientes magis onerati, quam liberati a peccatis ad suam conscientiam redierunt: dicunt enim, si Clerici, ea quae litterario; si milites, ea quae gladiatorio gessere conflictu, ut sub humilitatis pallio superbiam inducant..... Nudam autem eam esse oportet, et totius absconsionis exutam velamine: quid enim prodest partem peccatorum dicere, et partem celare; ex parte mundari, et ex parte immunditiae deservire? .... Omnia nuda, et aperta sunt oculis Dei, et tu illi aliquid abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet Sacramento? Ostende, et denuda quaecumque cor tuum dilacerant; detege vulnus,*

ut sentias operam medicantis..... Debet autem esse et propria. Sunt enim plerique, qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, et sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur: nesciunt sua, aliena vero perpetuae memoriae commendaverunt. Infelices, et miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua! Serm. XL. de diversis. n. 6.

§. III. Praeterea unumquemque gravis culpae post Baptismum perpetratae conscium Sacramentalis Confessionis lege divina adstringi. Quum enim non aliud sit subsidium a Christo institutum ad gravium culparum remissionem obtinendam post Baptismum, nisi Poenitentiae Sacramentum, cuius pars *essentialis* est Sacramentalis confessio; ea quemlibet baptizatum gravis culpae reum adstringi, ex ipsa Sacramenti divina institutione patet. Lege vero Ecclesiastica in concilio Lateranensi IV. promulgata adstringitur, saltem semel in anno, quivis baptizatus rationis usu praeditus. Porro etsi quo anni tempore Ecclesiasticae legi obtemperandum sit, Concilium non defi-

niverit, consuetudo tamen Quadragesimae tempus determinavit; de qua consuetudine sic loquitur Tridentina Synodus: *Iam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, et maxime acceptabili tempore Quadragesimae: quem morem haec Sancta Synodus maxime probat, et amplectitur, tamquam pium, et merito retinendum.* Sess. XIV. Cap. V.

§. IV. Denique peccatorum confessionem a Christo praescriptam, quemadmodum poenitentes ad culparum manifestationem, sic Sacerdotes ad inviolabile prorsus secretum, quod *sacramentale sigillum* dicitur, obligare. Ubi enim tali lege Sacerdotes non adigerentur, Confessionis utilitas, quanta est, evanesceret; quis enim cum tanto famae periculo peccata sua Sacerdoti aperiret? Atqui Christus non alium sibi proposuit finem in peccatorum Confessione praecipienda, nisi poenitentium utilitatem. In ipsa igitur Confessionis lege *Sacramentale sigillum*, nulla omnino ratione violandum, Sacerdoti praescribitur. Iuri divino Ecclesiasticum

ius adde. Sic enim imperat Concilium Lateranense IV. *Caveat autem omnino* (Sacerdos), *ne signo, vel verbo, vel alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.... quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Canon. *Omnis utriusque sexus fidelis.* Non solum autem divino, et Ecclesiastico iure, sed etiam naturali Sacramentale sigillum custodire debet Sacerdos; tum ex fidelitate, quae secreto commissa manifestare prohibet; tum ex iustitia, quae aliena iura violare vetat, ius vero ad famam certe quidem retinet poenitens; tum ex caritate, quae nulli faciendum quod tibi fieri nolis, praecipit.

Corollarium V.

Ex VII. et duabus, quae illi subiiciuntur, Propositionibus derivat primo Satisfactionis necessitas, quae, quatenus in satisfa-

ciendi voluntate sita est, Sacramenti Poenitentiae *essentialem partem*; quatenus vero in ipsis satisfactionis operibus, *partem integralem* constituit. Quam vero divinae Iustitiae conveniat satisfactio, his verbis docet Tridentina Synodus: *Sane et divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati, et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes Templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti iniurii, et contumeliosi Spiritui Sancto in graviora labamur thesaurizantes nobis iram in die irae.* Sess. XIV. Cap. VIII. Deinde satisfactionis ipsius utilitatem, ac virtutem, quam non aliunde, nisi ex Iesu Christi meritis, recipit, explicat ibidem eadem Sancta Synodus. Ac demum Sacerdotes hortatur,

ut munere suo in satisfactione imponenda attente, ac prudenter defungantur. Quod autem ad satisfactionis modum, et regulam attinet, varia fuit, pro temporum varietate, Ecclesiae disciplina. De qua inter ceteros Natalis Alexander Dissert. VI. VII. VIII. IX. Saec. III.

CAPUT V.

Praecipuae Theologorum quaestiones circa Poenitentiae Sacramentum enarrantur.

Quum Catholica doctrina circa Poenitentiae Sacramentum iam exposita, ac demonstrata fuerit, et Corollaria etiam ab ea fuerint deducta; praecipuae Theologorum quaestiones enarrandae succedunt.

§. I. Ac primum sese offert celebris illa inter Scotistas, et Thomistas quaestio, quae in verbis potius, quam in re versatur; utrum scilicet dispositionum, an materiae (1) ra-

(1) Sacramenti Poenitentiae materiam remotam

Digitized by Google

tionem habeant poenitentis actus. Scotistae dispositiones ad Poenitentiae Sacramentum, non ipsius Sacramenti materiam poenitentis actus esse contendunt; Sacramenti vero materiam simul, et formam in sola absolutione ponunt. Thomistae contra in poenitentis actibus materiam, in absolutione vero formam reponendam esse censent. At, quum ipsi Scotistae non negent, nec negare possint ad peccatorum remissionem iure divino requiri poenitentis actus, verbis potius, quam re, cum Thomistis litigare videntur. Minime tamen dubitandum Thomistarum sententiam ad Catholicam doctrinam in Eugenii IV. Decreto, et Tridentinae Synodi canonibus definitam propius accedere. Porro nullo firmo argumento niti videtur eorum opinio, qui Sacramenti Poenitentiae materiam in ipso poenitente constituunt; in quovis enim Sa-

peccata esse, mortalia quidem necessariam, venialia vero sufficientem Theologi prorsus omnes consentiunt; de proxima autem materia disputant.

cramento aliud est subiectum, aliud materia: item eorum, qui in manuum impositione, quae absolutionem comitatur, collocant, quum talis impositionis necessitatem neque Scriptura, neque Traditio doceat.

§. II. Quod vero ad Sacramenti Poenitentiae formam spectat, duplex inter Theologos quaestio: altera, num illa verbis indicativis, an deprecatoriis ex Divina institutione sit exprimenda; altera vero, utram ex duabus iam dictis adhibuerit Ecclesia tum Graeca, tum Latina. Circa primam, verbis indicativis expressam formam omnino vanam, ac nullius roboris esse opinati sunt nonnulli, quos confutavit S. Thomas Opusc. XXI. ubi contendit peccatorum absolutionem, non alio modo, nisi indicativis verbis pronuntiandam esse, quum iudicialis actus ipsa sit. Atque in hanc Sancti Thomae sententiam ceteri Scholastici iverunt. At alii media veluti incedunt via, atque sentiunt actum iudicialem, qualis, sine ulla prorsus difficultate, absolutio est, Divina Christi institutione, recte quidem tum indicativis, tum depre-

catoriis verbis exprimi, atque alterutrum Ecclesiae arbitrio Christum reliquisse: ideoque Ecclesiae determinationem nemini, sine Sacramenti periculo, negligendam esse; cuiusmodi sententiam tenent Franciscus Mayro in IV. Distinct. XIV. q. I. Morinus de Poenit. Lib. VIII. Cap. VIII. et fortasse Estius. in IV. Dist. XV. §. 3. Circa secundam vero quaestionem S. Thomas, ac Scholastici, non alia unquam forma, nisi indicativis verbis expressa, usam fuisse Ecclesiam contendunt. At Morinus in Ecclesia Graeca formam indicativam nunquam esse adhibitam, sed solam deprecatoriam ostendere conatur; in Ecclesia vero Latina deprecatoriam viguisse ait ad undecimum usque saeculum. ibid. Morino autem adversantur Arcudius, et Goarius; primus De poenit. Lib. IV. Cap. III. alter in notis ad Euchology. Graec. pag. 673.

§. III. Deinde circa differentiam, quae inter Contritionem perfectam, et imperfectam, seu inter Contritionem, et attritionem intercedit, disputant Theologi. Nam etsi ad veram attritionem requiri dilectionis initium

omnes consentiant, secundum Tridentini doctrinam Sess. VI. Cap. VI. quid tamen ad hoc dilectionis initium, *seu caritatem inchoatam*, constituendum requiratur, non omnes aeque definiant. Quibusdam enim placet caritatem inchoatam in amore Dei super omnia reponere; ac differentiam inter contritionem, et attritionem ex maiori, vel minori ipsius caritatis *intensitate* repetere. Alii contra amorem Dei super omnia, quamvis remissum, a caritate perfecta minime distinguendum putant; ac differentiam inter contritionem, et attritionem ex diverso motivo formali repetunt, quod nempe caritate perfecta diligitur Deus, ut in se infinite bonus, caritate vero inchoata, ut nobis bonus, scilicet ut perfecta, et aeterna nostra beatitudo, quam ipsius gratia consequi speramus, atque amittere timemus.

APPENDIX

De Indulgentiis.

Quum culpis per Poenitentiae Sacramentum deletis *poena temporalis* plerumque luenda remaneat, quae Indulgentiis vel omnino, vel ex parte remitti potest; ad Poenitentiae Sacramenti tractationem absolvendam aliqua de Indulgentiis dicenda supersunt.

Caput I.

Indulgentiae definitio, et divisio traditur.

§. I. Indulgentia est *temporalis poenae relaxatio ab Ecclesia per misericordiam facta.* Nimirum culpa baptizatis Poenitentiae Sacramento remittitur; at non remittitur semper una cum culpa etiam tota poena, sed in temporalem poenam mutatur aeterna, poena vero temporalis vel satisfactionis operibus secundum iustitiam persolvitur, vel se-

cundum misericordiam relaxatur ab Ecclesia, quae eiusmodi potestatem a Christo accepit. Quum vero omnia nobis cum Christo eius Filio dederit Pater, eiusmodi poenae relaxatio Christi meritorum applicatione primo, ac praecipue fit; deinde etiam SS. Virginis, aliorumque Sanctorum, quorum omnium meritorum cumulum Ecclesia Catholica *Thesaurum* appellare consuevit; talisque thesauri divitiis ab initio usa est, prout Fidelium necessitates exquirebant. Ut autem quam recte eiusmodi meritorum applicatio fiat, intelligamus, memoria repetendum est Ecclesiam Christi corpus esse, fideles vero eius membra. Sicut ergo a Christo capite dona, et merita in totum corpus derivant, sic et unius membri dona, ac merita aliis membris per caritatem et capiti, et membro illi coniunctis applicantur, et prosunt. Illud autem primum omnium animadvertendum est Beatissimae Virginis, aliorumque Sanctorum merita Christi meritis cumulari non ideo, quod una eademque reputetur meritorum Christi et Sanctorum efficacia, nec

quod meritorum Christi vis, atque virtus infinita non agnoscatur; ab utroque enim absurdo semper abborruit Catholica Ecclesia. At idcirco Beatissimae Virginis, ceterorumque Sanctorum merita in illo Thesauro recensentur, quod multa ipsi perfecerunt, multaque passi sunt, quae eorum peccatis expiandis superflua (si quidem vel nullum ut sanctissima Virgo, vel levissimum aliquod peccatum, ut Sanctornm plerique perpetraverint) alienis peccatis, quod ad poenam temporalem, purgandis applicari et prodesse per caritatem valent: haec autem virtus tota, quanta est, in Sanctorum merita ex Christi meritis derivat; quapropter praedicta recensione. Christi meritorum infinita efficacia, et vis non modo non obscuratur, aut deprimitur, sed magis magisque splendescit, atque effertur. Quod autem totam rem paucis concludit, atque planissime explicat, illud est; duplex nempe Christi corpus nobis exhiberi in Scripturis, aliud *physicum* et *reale*, aliud *mysticum* et *morale*. De primo, hoc est de vera carne, quam Dei Filius assumpsit, loquuntur e.g. hae senten-

tiae: *Et Verbum caro factum est.* Ioan. I. 14. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* I. Petr. II. 24. De *morali*, ac *mystico* autem loquitur Paulus, ubi ait: *Et ipsum* (Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam. Quae est corpus ipsius.* Et alibi: *Vos autem estis corpus Christi.* I. Cor. XII. 27. Itaque unius, eiusdemque Christi merita, ac satisfactiones sunt tum quae in eius corpore *physico* et *reali* dum inter homines viveret, ac pro illis pateretur, locum habuerunt; tum quae in eius corpore *morali* ac *mystico*, in Sanctis scilicet, locum habent.

§. II. Indulgentiae (1) vero vel sunt *partiales*, vel *plenariae*. *Partiales* Indulgentiae dicuntur, quibus aliquot dierum, vel annorum poena remittitur; poena enim temporalis ex

---

(1) Beneficium hoc, quod *Indulgentiam* appellamus, variis nominibus indicarunt veteres. Sunt autem haec, nempe *remissio*, *relaxatio*, *donatio*, *condonatio*. At omnium usitatissimum est *Indulgentia*.

antiqua Ecclesiae disciplina diverso dierum, vel annorum spatio pro criminum diversitate indicebatur: eiusmodi sunt Indulgentiae *quadragenae*, quibus scilicet quadraginta dierum poenitentia remittitur; item unius anni, duorum, trium, quinque, septem, decem, viginti annorum; nec non Indulgentiae, quibus tertia, vel quarta, vel alia peccatorum, scilicet poenae peccatis debitae, pars relaxatur. Indulgentiae vero *plenariae* appellantur quibus tota peccatis debita poena remittitur. At nonnulli in *plenam*, *pleniorem*, *plenissimam* distinguendam *plenariam Indulgentiam* arbitrantur; *plenam* eam appellant, qua tota poena ab Ecclesia peccatori iam imposita remittitur; *pleniorem* eam, qua tota poena peccatori secundum Canonum rigorem imponenda relaxatur, *plenissimam* eam, qua omnis omnino poena divinae iustitiae solvenda condonatur. Verum quavis *plenaria* Indulgentia totam peccatis seu Ecclesiae Canonibus, seu Dei iustitia debitam poenam remitti censent communius Theologi. *Plenariis* indulgentiis adnumerandus est Iu-

bilaeus(1), quo praeter plenarias Indulgentias, Poenitentiae Sacramenti ministris omnibus potestas a peccatis etiam Episcopis, et Papae reservatis absolvendi, et vota commutandi conceditur, ut e vitiorum coeno facilius eruantur peccatores. Insuper Indulgentiae vel *temporariae* sunt, vel *perpetuae*: quae certo quodam temporis spatio definiuntur, ut hac vel illa die, hac, vel illa hebdomada, hoc vel illo anno, *temporariae* vocantur: quae vero quovis tempore valent, quia vel locis, vel precibus, vel operibus quibusdam adnexae, dicuntur *perpetuae*.

(1) Iubilaeus, qui primum centesimo, deinde quinquagesimo, nunc vigesimo quinto quoque anno aperitur, a יבל *germinare*, quasi *annus germinans*, ut opinatur Bellarminus, dictus. Tali enim anno multos, ac praeclaros poenitentiae, ac pietatis fructus producere solent Catholicae Ecclesiae membra; ideoque talis annus dicitur etiam *Sanctus*.

Caput II.

Catholica de Indulgentiis doctrina, adversaque haeresis exponuntur.

Ea quae de Indulgentiis docet Catholica fides, duabus subiectis propositionibus continentur.

I. Indulgentias concedendi potestatem habet Ecclesia.

II. Inutiles non sunt Indulgentiae : immo earum usus est maxime salutaris.

Catholicae vero doctrinae adversatur haeresis Waldensium, qui Indulgentiarum virtutem prorsus negarunt; item Wiclefi, qui fidem Indulgentiis Papae, et Episcoporum a Catholicis praestitam despicit, ac deridet. Waldensium, et Wiclefi errores amplexati sunt Hussitae, Lutherus, Melancton, Calvinus, Kemnitius, qui omnes Indulgentiarum utilitatem, easque concedendi potestatem Ecclesiae propriam probris omnibus, maledictisque impugnarunt.

Caput III.

Demonstratur Catholica doctrina de Indulgentiis, opposita haeresis confutatur.

Indulgentiae definitione tradita, et Catholica doctrina de Indulgentiis, nec non adversa haeresi exposita; priorem demonstrandam, alteram confutandam aggredimur.

Propositio I.

Indulgentias concedendi potestatem a Christo accepit Ecclesia.

Prob. I. Scripturis. Quod enim Apostolis dixit Christus: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo*, etiam ad temporalis poenae solutionem procul dubio pertinet; siquidem nihil excepit Christus, sed generatim omnia complexus est, culpam scilicet, poenam sive aeternam, sive temporalem, quidquid uno verbo hominem ligaret. Immo potiori ratione; si namque illis

verbis potestatem a peccatis, et a poena aeterna peccatis promerita alsolvendi concessit Ecclesiae Christus, ut iam demonstravimus in Prop. II. de Sacram. Poenitent., quanto magis poenae temporalis relaxandae facultatem? Porro eandem vim alia Christi verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, habent; quandoquidem ad peccata vindicanda spectat etiam poena temporalis, ut in Prop. VII. de Sacram. Poenit. ostendimus: ideoque tum praescribendae, tum relaxandae eiusmodi poenae facultas Ecclesiae tributa est. Demum a Christo potestatem hanc accepisse Ecclesiam confirmat Paulus, qui, quum Corinthium incesti reum prius in nomine Christi Satanae tradidisset 1. Cor. V. 4. 5., poenitentiae agendae iam deditum a prolixiori poenitentia postea in persona Christi absolvit, ut ex his verbis clare patet; ita enim scribit *Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio haec, quae fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eius-*

Digitized by Google

modi est...... Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. II. Cor. II. 6. et seqq. Indulgentia nimirum usus est Apostolus, quod reliquum erat poenitentiae, Corinthio relaxans, siquidem donandi vocabulum adhibuit. Egregie pro more illam Apostoli sententiam explanat Chrysostomus: *Non quod id promereatur, nec quod eam, quam par sit, poenitentiam praestiterit; sed quia infirmus est, idcirco, ait, hoc peto.* Hom. IV. in II. ad Cor.

Prob. II. Traditione, cuius antiquissimos testes habemus Tertullianum, et S. Cyprianum; ex eorum enim scriptis constat in more positum fuisse, ut sactisfactionis pro peccatis debitae pars aliqua poenitentibus condonaretur ab Ecclesia ob martyrum preces. Nimirum sic scribit Tertullianus adhuc Catholicus: *Quam pacem* (eam scilicet reconciliationem, quae poenitentia omnino peracta obtinebatur) *quidam in Ecclesia non habentes* (quia totius poenitentiae cursum nondum absolverant), *a martyribus in carcere exorare consueverunt,*

et ideo eam etiam propterea in vobis habere, et fovere et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis. Ad Martyres cap. I. Apertius vero confirmat haereticus iam factus, negans posse aliis martyrum merita prodesse, ideoque ostendens martyrum merita poenitentibus applicari consuevisse in Catholica Ecclesia: *Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consequutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius* (1)? De Pudicitia cap. XXII. S. Cyprianus autem,

---

(1) Tertulliani argumentum nimis, ideoque nihil probare, ut aiunt Scholae, nemo non videt. Si enim ita se res haberet, ut ipse ostendere conatur, ne ipsi martyri quidem propria mors prodesset; quod tamen Tertullianus adfirmat. Sicut ergo martyris mors non sua vi, sed meritorum Christi virtute ipsi martyri prodest, sic eadem virtute etiam aliis per caritatem Martyri, ut membra membro in Christi corpore, conjunctis prodesse potest.

postquam satisfaciendi necessitatem pluribus ostendit, de satisfactionis relaxatione loquitur sic concludens: *Potest ille* (Deus) *indulgentiam dare; sententiam suam potest ille deflectere. Poenitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint Martyres, et fecerint Sacerdotes.* De lapsis in fine (1). Quibus postremis verbis demonstrat per indulgentias temporalem poenam relaxari non solum penes Ecclesiam, sed etiam penes Deum, poenitentibus aliorum merita applicando. Nam Deum ait tum Martyrum preces, tum Sacerdotum opera, quasi poenitentium forent, accipere. Plura insuper Conciliorum, et summorum Pontificum statuta, quae ad rem pertinent, refert Bellar-

---

(1) Multa S. Cypriani testimonia, quae morem poenitentibus poenam temporalem ob Martyrum preces relaxandi confirmant, collegit Natalis Alexander. Hist. Eccl. Saec. III. Dissert. III.

Digitized by Google

minus Lib. I. De Indulgentiis cap. III. quem videsis.

Prob. III. Catholicae Ecclesiae auctoritate. Sic enim definivit Tridentina Synodus: *Quum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa usa fuerit: Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, et praecipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Sess XXV. Decret. de Indulgentiis.

Propositio II.

Inutiles non sunt Indulgentiae: immo earum usus est maxime salutaris.

Prob. Illud inutile non est, immo maximam affert utilitatem, quod impedimenta quaedam

ad vitam aeternam obtinendam removet. Atqui Indulgentiis relaxatur *poena temporalis*, quae, quoad non solvatur, ad vitam aeternam obtinendam impedimentum affert. Praeterea eleemosynas, ieiunia, preces, aliaque bona opera minime excludunt Indulgentiae; immo propter huiusmodi opera tribuuntur. Inutiles ergo non sunt indulgentiae; immo earum usus est maxime salutaris (1).

Obiecta diluuntur.

Obiic. I. A Christi discipulis non fugiendae, sed potius quaerendae poenae, ut Magistro conformentur. Atqui Indulgentiarum usu evitantur poenae. Ergo Indulgentiae damnum potius, quam utilitatem Christi discipulis afferunt.

---

(1) Propositionem hanc, quam paucis demonstravimus, comprobant omnia illa Scripturarum, Patrumque testimonia, quibus satisfactionis necessitatem iam in Prop. VII. de Sacr. Poenit. ostendimus.

Resp. Duplex poenarum genus distinguendum; alterum earum, quibus Christi mortificationem in corpore nostro circumferentes, et carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, Christo ipsi cruci affixo conformamur; atque huiusmodi poenae Indulgentiarum usu haud excluduntur: alterum vero earum, quibus pro perpetratis culpis divinae Iustitiae satisfacimus; atque tales nobis poenas remittens Indulgentia maximam affert utilitatem, quoad enim eas non solverimus, a Dei Regno arcemur.

Obiic. II. Indulgentiae *meritum* excludunt; *satisfactoriae* enim sunt, non *meritoriae*. Igitur utilius est iis non uti, quam uti.

Resp. Etsi per se Indulgentiae non *meritoriae*, sed *satisfactoriae* sint, opera tamen, quibus Indulgentiae adnectuntur, *meritum* pariunt. Duplex ergo est Indulgentiarum utilitas; prior, quoniam per se *temporalis poenae debitum* nobis remittunt; alterum quoniam per opera, quae praescribuntur, viam *meritum* cumulandi non obstruunt, sed magis magisque aperiunt. Praeterea quo-

dam sensu verissimo Indulgentiae etiam per se *meritoriae* dici possunt: quatenus in earum usu exercetur fides, potestatem Ecclesiae a Christo concessam credendo; spes, ut Deus Filii sui *merita* nobis applicet cupiendo, ac expectando; caritas, Deo gratias agendo, quod cum Filio suo tot, tantaque nobis bona donaverit.

Obiic. III. Melius quidem est propriis operibus satisfacere, quam alienis. Ergo melius *poenas temporales* luere, quam Indulgentiis uti.

Resp. At alterutro certe quidem melius est utrumque; scilicet propriis operibus, quoad fieri potest, *temporales poenas* solvere, et alienis satisfactionibus uti per Indulgentias, ut quod ipsi per nos conficere non possumus, per alios perficiamus.

CAPUT IV.

Catholicae de Indulgentiis doctrinae Corollaria.

Catholicae Ecclesiae de Indulgentiis doctrina exposita, ac confirmata; ex ea quaedam Corollaria pro more deducimus.

Corollarium I.

Ex Indulgentiae definitione clare patet per quascumque Indulgentias nec culpam, nec aeternam poenam culpa promeritam remitti; utraque enim remissio obtineri non potest nisi Poenitentiae Sacramento vel *in re, vel in voto.* At vero Indulgentiis remittitur poena temporalis, quae secundum Ecclesiae Canones, et Divinae iustitiae rationes sustinenda foret, ita ut qui rite Indulgentias lucretur, ab aliqua poenae parte, vel etiam a tota poena secundum varia Indulgentiarum genera eximatur.

Corollarium II.

Potestas Indulgentias concedendi, quam Ecclesiae a Christo concessam in I. Propositione demonstravimus, *iure ordinario* eorum est, qui ab ipso Christo Ecclesiae praepositi sunt; summi nempe Pontificis in universali Ecclesia, cuius est Caput, atque Episcoporum (1) in ea

---

(1) Quod ad ius Canonicum adtinet, Indulgentias concedendi facultas Episcopis deminuta est. Sic enim statuit Concilium Lateranense IV. *Quia per indiscretas, et superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur; decernimus, ut quum dedicatur basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in Anniversario Dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis poenitentiis indulta remissio non excedat.* Can.LXII.

Catholicae Ecclesiae parte, cui praesunt: Petro enim ut Ecclesiae Catholicae Capiti, ceterisque Apostolis, ut diversarum Ecclesiarum, quae Catholicam constituunt, Principibus, potestatem, quae *iurisdictionis* appellatur, concessit Christus. Atqui ad potestatem *iurisdictionis* pertinet Indulgentias ferre. Potest autem summus Pontifex, possunt Episcopi potestatem hanc Presbyteris delegare; quapropter *iure delegato* etiam Presbyteri Indulgentias concedere valent.

Corollarium III.

Ex iis vero, quae de Indulgentiarum utilitate, easque concedendi potestate in utraque Propositione demonstravimus, eruitur eos, qui Indulgentias rite recipiunt, a temporali poena luenda non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo liberari. Quod tribus potissimum rationibus comprobatur. Nam primo quod in terra facit Ecclesia, ratum habet in Coelo Deus iuxta illud: *Quaecumque solveritis* etc.; siquidem non nisi auctoritate a Christo ac-

cepta id facit Ecclesia, ut ex illo Apostoli: *Quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Ad rem Auctor Commentar. in Ep. S. Pauli Ambrosio suppositorum: ***Et ut ratum ei, cui donavit, ostenderet apud Deum, ait in persona Christi se donasse quod donavit; hoc est accepto tulisse Christum, cuius legatione fungebatur, ut factum Apostoli factum sit Christi, sicut dixit «Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo».*** Praeterea quemadmodum poenitentia ab Ecclesia imposita divinae Iustitiae satisfaciendi vim habet, sic et Indulgentia ab Ecclesia proposita, et rite recepta poenae relaxandae apud Deum vim habet. Demum si eadem poena divinae Iustitiae pendenda esset post Indulgentias, damnum potius, quam utilitatem afferrent Indulgentiae; per eas enim ab huius vitae poenis mitissimis liberaretur homo, et longe gravissimis alterius vitae reservaretur.

Corollarium IV.

Ex utroque Catholico dogmate duabus Propositionibus confirmato recte etiam deducendum illud S. Thomae effatum de Indulgentiis: *Indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur, modo adsit ex parte dantis potestas, ex parte recipientis caritas, ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei, et proximi utilitatem.* Suppl. III. part. qu. XXV. art. 2. c. Tria igitur, ut vim suam habeant Indulgentiae, requiruntur; primum scilicet potestas in eo qui dat, qua quidem potestate pollent summus Pontifex in tota Ecclesia, et Episcopi in suis dioecesibus; alterum caritas in recipiente, tum quia peccatorum remissionem non pariunt, sed sequuntur Indulgentiae, tum quia sine caritate deest illa cum Christo capite, et ceteris membris coniunctio, quae Christi, Sanctorumque meritorum participem facit; tertium ex parte causae pietas, quoniam non ad pigritiam fovendam, sed ad infirmi-

tatem iuvandam, ac pietatem augendam Indulgentias ferendi facultatem Ecclesiae tribuit Christus. Ex qua doctrina merito concludunt Theologi, in eo, qui indulgentias rite lucrari cupit, praeter caritatem requiri etiam satisfaciendi pro viribus propositum, atque eo maiorem poenae partem Indulgentiis remitti, quo maior est pietas, et poenitentiae studium. Atque haec de Indulgentiarum virtute, nec non de conditionibus ad eas rite percipiendas requisitis breviter dicta sint. Quod ad Indulgentiarum *subiectum* aliquid superest dicendum. Possunt enim Christi fide et caritate praeditis tum vivis, tum defunctis in Purgatorio degentibus Indulgentiae concedi: sed vivis per *modum absolutionis*, siquidem hi Ecclesiae *iurisdictioni* subiacent; defunctis vero per *modum suffragii*, scilicet auxilii, seu subsidii Ecclesiastici. Nimirum in indulgentiis, quae vivis conceduntur, duo concurrunt, bonorum nempe in Ecclesiae Thesauro repositorum applicatio, et *absolutio*; in iis vero, quae defunctis tribuuntur, nullum habet locum *absolutio*,

siquidem scriptum est: *Quaecumque solveritis super terram*, e terra autem excesserunt defuncti; at, quum defuncti caritate et Christo Capiti; et membris eius coniuncti sint, Ecclesiae thesauri divitiarum, *meritorum* nempe et *satisfactionum* Christi, et Sanctorum participes esse possunt.

Caput V.

Theologicarum quaestionum circa Indulgentias expositio.

Catholica circa Indulgentias doctrina iam enarrata, ac comprobata, Corollariisque ab ea deductis, praecipuae Theologicae quaestiones brevissime exponuntur; in verbis enim potius, quam in rebus saepe tota fere consistit disputatio.

§. Nimirum Indulgentiarum Thesaurum negare videtur Franciscus Mairo, Indulgentias absolutionem a poena, non pretii solutionem esse adfirmans. At quum eiusmodi poenae remissionem meritorum Christi virtute

fieri dicat; licet verbis dissentiat a ceteris Theologis, re tamen ipsa consentit cum eis, qui in Indulgentiis non modo absolutionem a poena, sed etiam pretii solutionem per Christi, Sanctorumque meritorum applicationem agnoscunt. Durandus autem in Thesauro Christi merita tantum, non vero Sanctorum contineri opinatur; attamen Sanctorum merita suo modo Indulgentiis conducere non diffitetur, ideoque idem, quod alii Theologi, sed non iisdem verbis docet. Maldonatus denique praeter poenae, etiam culpae remissionem conferre Indulgentias censet, alia tamen ratione; primam scilicet *directe*, alteram *indirecte*: quod alii omnes Theologi non negant, siquidem in remissione peccatorum, quasi fundamento, innituntur Indulgentiae, quae temporalem poenam peccatis remissis superstitem proprie remittunt.

§. II Illa vero disputatio, quae circa Indulgentiarum effectum versatur, silentio praetermittenda minime videtur. Nonnulli enim Indulgentias tantam non habere virtutem opinantur, quanta ab eo qui concedit, pro-

ponitur; sed potius quanta eius qui recipit praeparationi respondet: hoc autem falsitatis argueret Ecclesiam, quae Indulgentias tribuit, quod sane absurdum est. Alii vero tantum poenae temporalis remitti per Indulgentias censent, quantum operis, quod *iniunctum* vocant, efficacia exigit; at hoc etiam absonum est, siquidem inutiles omnino secundum hanc sententiam essent Indulgentiae. Quibusdam praeterea opinari placuit Indulgentiarum effectum ex causae, pro qua Indulgentiae dantur, merito coram Deo aestimandum esse. Sed communior Theologorum sententia ea est, quam in Corollario IV. protulimus.

§. III. Quod ad causam iustam adtinet, quae ex parte operis requiritur, ad Indulgentias rite proponendas, ac percipiendas, etsi Theologi omnes consentiant inter causam, et poenam temporalem, quae relaxatur, *proportionem aequalitatis* necessariam non esse, secus enim non Indulgentia, sed commutatio, sive redemptio esset; disputant tamen, quaenam inter eas proportio intercedere debeat. Aliqui pro quovis opere ad Dei hono-

rem, et Ecclesiae utilitatem directo, quamquam minimo, concedi posse arbitrantur quamlibet Indulgentiam etiam maximam. At alii, quorum sententiam *veriorem* reputat Bellarminus, existimant solam operis pietatem, et utilitatem non esse satis, sed aliquam inter opus, et Indulgentiam proportionem insuper requiri. Hanc autem sententiam his praecipue argumentis confirmat Bellarminus. Primo enim iusta dici non potest vero, ac recto sensu, quae nullam habet cum effectu proportionem. Deinde infidelis *dispensator* dicitur non solum qui domini sui bona sine ulla omnino causa donat, sed etiam qui ob minimam causam maxima bona prodigit; atqui Christi, Sanctorumque meritorum *dispensatrix* est Ecclesia. Si demum pro minima causa concedi posset maxima Indulgentia, nulla umquam Indulgentia superflua, et indiscreta dici posset; sed eiusmodi Indulgentias in Conciliis reprobatas legimus.

INDEX

RERUM, QUAE IN HOC VI. VOLUMINE CONTINENTUR.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

PROPOSITIO IV.

PROPOSITIO V.

PROPOSITIO VI.

PROPOSITIO. VII.

CAPUT V.

Digitized by Google

CAPUT III.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO III.

PROPOSITIO VII.

PROPOSITIO VIII.

PROPOSITIO IX.

Digitized by Google

QUAESTIO I.

QUAESTIO II.

QUAESTIO III.

APPENDIX

DE INDULGENTIIS

CAPUT I.

CAPUT II.

Digitized by Google

533863

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LEG[illegible]
E [illegible]
Vico F[illegible]
Cod. Fisc. [illegible]

Digitized by Google